potest, consensum ipsum esse matrim. causam, in quantum matrim. est conjunctio quædam maritalis viri, & feminæ, & hoc modo consensus in quantum exprimitur per verba, & hoc modo consensus in quantum matrim. & quamvis non sit est causa efficiens, & extrinseca matrim. & quamvis non sit de illius essentia, est tamen ita necessarius, ut nunquam possit matrimonium absque illo consistere.

2 Hinc infertur matrim. minime esse, si consensus ficte, & oretenus præstetur: ut late disputavi l.1. disp.11. ubi etiam negi de obligatione hujus ficte consentientis. 2. infertur, necessarium esse: ut uterque contrahens sit sui compos, si enim saltem alter contractus tempore demens, aut ebrius sit, matim. non consistit: ut late dixi eodem lib. 1. disp. 8. a nu. 14. ubi etiam utrum detur demens in una re, in aliis autem ratione utens: & qualiter mutus, surdus, & cæcus matrimon. jungi possint, dixi ead. disp. 8. num. 12. & 13.

DISPUTATIO XXVI.

Utrum ita necessarius sit consensus ad matrim. ut nequeat de potentia Dei absoluta absque illo consistere?

SUMMARIUM.

Matrimonium, ut est contractus humanus, per nullam potentiam potest esse absque consensu, num. 1.
Potest Deus dare potestatem in corpus absque proprio consensu, 2.
Opinio affirmans, posse vinculum matrimonii esse absque proprio consensu, 3.
An de facto fuerit inter primos parentes absque consensu, 4.
Versor opinio, 5.
Et solvuntur argumenta, 6.

1 IN hac disputatione duo videntur esse absque controversia: alterum est, si loquamur de matrim. causaliter, absolute, in quantum est contractus humanus, a propria voluntate tanquam a causa consurgens, per nullam potentiam potest absque mutuo consensu consistere. Quia tunc consensus est de intrinseca contractus ratione, & sicut actus intellectus, eo quod vitalis sit, per nullam potentiam potest absque intellectu produci: ita contractus humanus, qui oritur a voluntate, tanquam a principio vitali, esse nequit absque ejus consensu. Et ita sentiunt *Palacios, & Petr. de Led. quos n. 3. referam.*

2 Alterum est, Deus potest dare viro potestatem in corpus feminæ, & e contra, absque illorum consensu: quia Deus habet majus dominium in conjugum corpus, quam ipsimet: cum ergo possint ipsi, eo quod sint domini proprii corporis, dominium illius transferre, a fortiori poterit Deus.

3 Difficultas autem in hoc versatur, cum matrim. non sit jus utendi alterius corpore, nec mutua obligatio, sed vinculum quo conjuges copulantur: ut dixi hoc l. disp. 1. num. 5. & seq. utrum vinculum hoc consistere possit de potentia Dei absoluta, absque illorum consensu? Duplex est sent. I. affirmat, quia Deus potest efficientis causæ vices supplere, ut calefacere absque igne: consensus autem mutuus solum est causa efficiens hujus vinculi. Sic *Sotus 4. d. 27. q. 1. a. 2. concl. 1 Victoria relect. de matr. 2. p. n. 4. Led. 2. p. 4. q. 47. a. 1. Veracruz 1. p. spec. art. 2. §. Item si non esset, Palacios 4. d. 27. disp. 1. fol. 563. & seq. Angles floribus, 1. p. de matr. q. 1. de ejus essentia, d. 27. a. 2. init. f. 527. Enriquez lib. 11. d. matr. cap. 1. n. 3. Barth. a Ledesm. de matrim. dub. 16. fol. 1265. Lud. Lop. 2. p. instr. de matr. cap. 49 fol. 154. §. Circa prædictam doctrinam. Petr. de Ledesm. de matr. q. 45. a. 1. dub. 1. concl. 4 Vega lib. 4. sum. casu 73.*

4 Imo asseverant aliqui, Deum immediate conjunxisse primos parentes absque illorum consensu: idque Christum significasse illis verbis *Matth. 19. Quos Deus coniunxit.* Et hoc dicit esse probabile *Palud. 4. d. 26. q. 2. art. 2.* Sed quamvis præcedens opinio satis probabilis sit: hoc tamen additum non est verum. Quia ad suavem Dei providentiam spectabat, ne matrimon. primum, quod aliorum norma, & exemplar erat, absque proprio consensu consisteret.

5 II. Sent. probabilior, ait, per nullam potentiam posse matrimon. absque proprio consensu constare. Prob. quia consensus est de essentia matrim. ut docet *Supplem. Gabrielis 4. d. 27. qu. 1. art. 1. & Adrian.* dicens esse indubitatam, 4. *q. 2. de matrim.* res autem per nullam potentiam potest consistere absque sua essentia. Et confir. quia matrimon. essentialiter est conjunctio animorum conjugum, quæ conjunctio nequit aliter intelligi nisi per consensuum unionem, 2. quia matrim. est traditio ad statum matrimonialem, sicut votum solemne est traditio ad religionis statum, ergo sicut hoc nulla ratione fieri potest absque voventis consensu, ita nec illud. 3. quia copulatio animorum conjugum pendet ab illorum voluntate consentiente, non tantum in genere causæ efficientis, sed quodammodo etiam in genere causæ formalis, sicut visio pendet a potentia visiva, & conjunctio affectiva amantis, & amati, ab amore voluntatis: hæ autem fieri nequeunt absque propriis causis. Tandem, quia nequit Deus constituere relationem in aliquo, cum vero actu formali illius, absque ejus fundamento, ut paternitatem in aliquo per quam vere pater dicatur, absque generandi actu: sed matrim. est relatio inter conjuges, ut dixi hoc l. disp. 1. nu. 6. consensus autem est fundamentum: ergo implicat, matrim. esse absque proprio consensu. Hanc tenent aliqui ex discipulis D. Thomæ (ut refert *Petr. de Led. d. 1. a. 1. dub. 1. concl. 3.*)

Ad arg. oppositum constat ex dictis, consensus enim non 6
tantum est causa efficiens, sed etiam formalis: extrinseca tamen matrim. sicut Deus nequit facere meritum, absque voluntatis consensu, cum tamen consensus sit causa efficiens meriti: quia meritum ut sic, non tantum dicit ordinem ad consensum voluntatis tanquam ad causam efficientem, sed etiam tanquam ad formalem extrinsecam.

DISPUTATIO XXVII.

Utrum in republica Ecclesiastica, vel sæculari sit potestas conjungendi aliquos in matrimonio, sine illorum consensu?

SUMMARIUM.

Proponuntur argumenta partem affirmantem suadentia, n. 1.
Non est talis potestas, num. 2. potest tamen princeps ob bonum commune aliquos compellere, ut matrim. jungantur, 3.
Solvuntur argumenta, 4.

1 VIdetur eam potestatem esse: nam id factum esse videtur, cum *c. Is qui fidem, de sponsal.* decernatur sponsalia transire in matrim. per copulam, nec admittendam esse probationem dissensus: & *c. fin. de condit. appos.* deciditur matrim. sub conditione impossibili initum esse validum, cum tamen in his casibus sæpe deficiat consensus. 2. quia princeps in omnibus aliis contractibus potest defectum consensuum supplere, & contrahentibus invitis transferre dominium, cosque in servitutem redigere: ergo potest etiam corporum dominium transferre. 3. quia ideo potest Deus corporum dominium & potestatem transferre, (ut dixi disp. præced. n. 2.) quia majus in ea dominium habet, quam ipsimet contrahentes, sed homo plus est reipublicæ, quam sui ipsius, teste *Arist. in polit.* ergo potest similiter respublica. His argumentis ducti asserunt *Victoria, & Ledesma statim citandi*, non esse errorem hoc dicere.

2 Sed certissimum est nulli humanæ potestati hoc concessum esse, Prob. ex fine matrim. cum enim ad sobolis educationem, mutuumque amorem ordinetur, frustraretur utique hoc fine, si consensus conjugum in illo ineundo non desideraretur. 2. quia matrim. de se, est vinculum perpetuum, nullum autem violentum, perpetuum est. 3. quia omne vinculum per rempub. factum, potest per ipsam dissolvi, matrim. autem consummatum nulla humana potestate dissolvi potest: ut dixi hoc l. 2. disp. 13. n. 11. 7. quia alias posset Ecclesia separare uxorem a viro, & tradere eam alteri. Tandem quia *Trid. sess. 24. de matr. c. 9.* excommunicat omnes principes ad matrim. compellentes, ergo supponit non posse compellere. Ita tenent ex Theologis, *Palud. 4. dist. 36. q. 2. a. 2. nu. 15. D. Ant. 3 p. t. 1. c. 15. §. 3. & c. 3. §. 2. Victoria relect. de matr. p. 1. num. 7. Sot. 4. d. 27. q. 3. a. 1. conc. 2. Led. 2. p. 4. q. 47. a. 1. f. 446. col. 3. Veracruz 1. p. spec. a. 2. §. Item si non esset, Palacios 4. d. 27. disp. 1. fol. 564. col. 2. fin. Ang. floribus, 1. p. qu. 1. de essent. matr. d. 27. a. 2. ante 1. diffic. fol. 528. Enriquez l. 11. de matr. cap. 1. n. 3. fin. Barth. a Ledes. dub. 16. de matr. fol. 1263. Petr. de Led. de matr. q. 45. a. 1. dub. 1. concl. 2. Lud. Lop. 2. par. instruct. de matr. cap. 39. §. Præterea tertio, Vega l. 4. sum. casu 73.* Et ex Jurisperitis, *Host. Ant. Abb. Præpos.* quos refert, & sequitur *Covar. 4. dec. 1. par. c. 4. init. n. 4. & §. 1. n. 9. & 2. p. c. 2. n. 1. Rosella Matrim. 4. n 6. Angel. Matrim. 3. impedimen. 18. n. 2. Sylv. Matrim. 2. qu. 15. Nav. l. 4. cons. in 1. edit. 1. 1. de sponsal. cons. 36.*

Potest autem princeps, quando bono communi valde expediret, aliquem compellere, ut alicui nubat: ipso tamen invito matrim. constituere nequit. Sic *Ledes. 2. p. 4. qu. 47. a. 1. fin. Enriquez lib. 11. de matrim. c. 6. num. 7.* 3

4 Ad 1. arg. dico, in neutro casu esse matrim. deficiente consensu, quem Ecclesia præsumit. Ad 2. dico in aliis contractibus non impediri finem illorum, principe supplente consensum, secus autem in matrimon. Ad 3. dico habere majus dominium Ecclesiam, quoad alios contractus, non quoad matrimon. unde potest in aliis contractibus consensum supplere, in matrimonio autem minime. 4

DISPUTATIO XXVIII.

Quod sit objectum, in quod necessario ferri debeat consensus matrim. ut legitimum sit, an id sit carnalis copula?

SUMMARIUM.

Proponuntur argumenta probantia non exigi consensum in copulam nu. 1. & ibi, an sit de fide B. Virginem contraxisse matrimonium.
Opinio docens requiri consensum in copulam, 2.
Explicatur, in quod objectum ferri necessario debet consensus matrimonialis, 3.
Qualiter consensus in copulam implicitus, sit de matrim. essentia, & fuerit in Virgine, n. 4. & solvuntur argumenta, n. 5. & declaratur c. Beata, 27. q. 2. num. 4.

1 APparet nec implicite, & virtute consensum in copulam desiderari. Primo, quia si quis contrahat animo profitendi ante consummationem, validum est matrim. ut constat ex *c. Commissum, de sponsf.* & ratio, est, quia intentio contrahendi

hendi matr. & non consummandi, minime repugnant: quamvis enim sint intentio affirmans, & negans, non tamen versantur circa idem objectum, sicut tenet Ordo animo nunquam exercendi recepeus. 2. quia beata Virgo verum contraxit matr. ut cum *Magistro 4. d. 30. c. 3.* omnes scribentes ibi fatentur, & *D. Th. 4.* ex professo. *3. p. q. 29. a. 2.* Immo *Suarez 3. p. q. 29. ar. 2. disp. 7. sect. 1.* ait esse de fide: (quod minime crediderim: nam *Canisius in Mariali, lib. 1. c. 5. §. Jam vero*, ait esse quæstionem arbitrariam, in qua sine erroris periculo potest utraque pars defendi: *Enriquez l 11. de matrim. c. 15. 1. in comment. lit. H.* refert hanc sententiam Canisii, nec impugnat: & *Metina l. 5. de sacror. hominum continent. c. 64.* dicit posse probabiliter defendi, non fuisse verum matrim. sed spontalia de futuro: quod *c. 61. & duplici seq.* ex multis sanctis comprobat.) Et tamen nec implicite consensit in copulam, nam juxta multos virginitatis votum emiserat, de quo consulendus est late *Suarez ibi*: & esto non emisisset, videtur hoc repugnare perfectæ virginitatis proposito, quale fuit in virgine.

2 *Metina lib. 5. de sacror. hominum contin. c. 70.* conatur defendere ad perfectum matr. requiri consensum in copulam: & probat ex *D. Aug. l. 19. contra Manich. c. 26.* ubi dicit matr. ex hoc appellatum esse, quod non ob aliud mater nubat, quam, ut mater fiat. Sed hoc nihil probat, quia tantum dicit id quod communiter accidit, non tamen id necessarium esse intendit.

3 Quare dicendum est, consensum matr. constituentem, non esse explicite in carnalem copulam, sed in jus, & potestatem ad talem copulam: implicite autem, & virtute ad copulam. Prob. quia carnalis copula non est de matrim. essentia, seu ejus effectus & operatio; perfectio autem essentialis consistit in mutua corporum traditione ad copulam: ergo consensus efficiens matrim. non fertur explicite in copulam, sed in potestatem, & implicite in copulam. Prob. conseq. quia consensus in matrim. solum fertur in id, quod est de essentia, quia vero consensus in aliquam rem, fertur saltem implicite in effectum: ad quem illa res intrinsece ordinatur, inde est ut consentiens in mutuam corporum traditionem, consentiat etiam virtute in copulam. Et confirm. quia contractus matrim. celebratus sub expressa conditione, ne teneantur contrahentes sibi debitum reddere, est nullus, ea sola ratione, quia totaliter excluditur ex vi contractus consensus implicitus in copulam. Sic tenent *D. Th. 4. d. 28. qu. unic. art. 4. & ibi D. Bonav. q. ult. Ricard. ibi, art. 2. q. 4 Suppl. Gabrielis ibi, q. 1. art. 4. Scotus 4. d. 30. qu. 2. art. 2.* ubi *Durand. q. 2. Palud. q. 2. a. 2. concl. 2. Henric. quodlib. 9. q. 11. Adrianus 4. qu. 2. de matr. §. Sed circa hæc dubium, Tabiena Matr. 2. q. 7. n. 8.* multos Sanctos referens, *4. d. 27. qu. 1. ar. 2. concl. 4. Covar. 4. dec. 2. pr. c. 3. init. n. 1. & §. 1. n. 4. Veracruz 1. p. specul. a. 2. §. Dubium est tamen Enriquez. l. 11. de matrim. c. 15. n. 1. Suarez 3. p. q. 29. ar. 2. sect. 1. fin. Lud. Lop. 2. p. instr. de matrim. c. 49. f. 1055. col 1. Petr. de Ledesm. de matrim. q 48. art. 1. f. 277. Vivald. candel. 1. p. de matrim. n. 50. Vega lib. 4. summ. casu 73.*

4 Pro hujus majori intelligentia observandum est, dupliciter intelligi posse, ut consensus implicitus in copulam desideretur ad verum matrim. Primo modo, loquendo de consensu implicito, quantum est ex parte contractus, & hoc modo verissimum est eum desiderari; cum enim contractus matrimon. intrinsece ordinetur ad copulam, qui explicite consentit in illum, consequenter in hanc implicite consentit, ex vi talis contractus: 2. modo potest intelligi, ex parte contrahentis, & hoc pacto non est necessarius consensus implicitus in copulam, imo licet contrahens habeat intentionem non consentiendi in copulam, est verum matrim. ut probant argumenta n. 1. proposita. Quod clare videtur significare *D. Th. 4. d. 30. q. 2. a. 1. q. 2. ad 3.* his verbis, *Virgo implicite consensit in copulam, ac copula nunquam fuit in proposito, erat enim a Deo certificata, nunquam subsequi debere.* Ecce qualiter ex parte contractus ponit consensum implicitum in copulam, non vero ex parte contrahentis, sed oppositum animum. Quod optime explicat *Suar. n. præced. alleg.* ubi ait in radice, & in causa habuisse consensum ad copulam, consentiendo in matrim. quod de se ad eam ordinatur: & ita (inquit) intelligi debet *D. August.* & habetur *c. Beata Maria 27. qu. 2.* dicens consensisse in copulam carnalem. Et ita *D. Th. 3 p. q. 29. ar. 2.* dicit non consensisse expresse in copulam, sed si Deo placeret: immo dicit *P. Suarez ibi*, nec absolute, nec sub conditione si Joseph petiisset, consensisset actu expresse in copulam: quia supervacaneus erat actus conditionalis, cum esset certa divina revelatione, Joseph non petiturum.

5 Ad 1. Argum. ex propositis n. 1. constat ex dictis n. præced. tantum enim probat non esse necessariam consensum implicitum in copulam, ex parte contrahentis, secus ex vi contractus. Ad 2. dico ex parte contrahentis: ut explicui n. præced. & ita nihil contrarium vero virginitatis proposito admisit.

DISPUTATIO XXIX.

Utrum necesse sit aliquor bona constituere, quibus matrim. excusetur: eaque debeant esse necessario finis a contrahentibus intentus, ut matr. valeat, & qualis finis debeat esse, ne contrahendo peccent?

SUMMARIUM.

Quot quæstiones disputandæ sint, num. 1.
Utrum opus sit matrimonium aliquibus bonis excusari, pro Thom. Sanchez de Matrim. Tom. I. ponuntur duæ opiniones, nu. 2. & 3.
Explicantur bona matrimonii: & c. Omne itaque, 27. q. 2. nu. 4. jund. num. 2.
Bona hæc utrum adveniant ab extrinseco, 5.
Impugnatur declaratio quædam Durand. in 6.
Solvuntur argumenta, 7.
Post que invenies alia summaria.

1 TRiplex est in hac disputatione tractanda quæstio. I. de necessitate bonorum excusantium matr. II. de necessitate finis intendendi, ut matrim. valeat. III. de necessitate finis intendendi ad evitandam culpam.

Quæstio I. Utrum necesse sit aliqua constituere bona, quibus 2
matrim. excusetur? Præmittendum est ex *Divo Aug. qu. super Gen. ad lit. c. 7. de bon. conjug. c. 6. & 7 referuntque c. Omne itaque 28. q. 2.* quem *Magister 4. d. 31. & ibi D. Th. q. 1. a. 1. 2. & 3.* & reliqui sequuntur, matrim. ex triplici bono, quod in eo reperitur, excusari; nempe ex bono fidei, prolis, & Sacramenti. Circa cujus explicationem controversia est inter DD. nam *Scot. 4. dist. 31. q. 1.* videtur sentire non esse opus matrim. excusare: Primo, nam res ex se bona, excusatione non indiget, sed ea sola, quæ indifferens est: cum enim de se nec bona, nec mala sit, indiget ut aliquibus circumstantiis vestiatur, ut determinetur: matrim. autem est ex se bonum. Item, quia nec matrim. in statu innocentiæ, nec B. Virginis, aliquo bono excusante indiguisse: cum tamen sint ejusdem rationis.

Alii vero, ut *Durand 4. d. 31. qu. 1. art. 1.* aliter hoc explicant, ait 3
enim *Durand.* indigere matrimon aliquo bono excusante: quia matrimonialis actus de se est indifferens, & ideo indiget aliquo bono excusanti: non tamen intendit dicere actum matrim. de se esse indifferentem, ut comedere, & bibere: hoc enim esset falsum, sed loquitur de actu generationis in communi, hic enim potest bene, & male fieri, quando autem contrahitur ad actum matrimonialem, licite fit: quia bonis circumstantiis honestatur, quæ sunt velut bona ipsum excusantia.

Sed hic modus exponendi merito non placet Doctoribus, 4
ut dicam n. 6. quare *Magister D. Th.* & reliqui sic explicant quamvis actus matrim. de se sit licitus, & studiosus, affert tamen secum aliqua detrimenta, quæ hæretici considerantes, illud damnabant: contra quos consule *Castro, verb. Nupcias, hær. 11. & Bellar. l. 2. de matr. c. 5.* Primum detrimentum est, perpetua servitus, juxta *Apost. 1. Cor. 7. Alligatus es uxori? noli quærere solutionem.* II. adest in ipso matrimon. actu tanta voluptas, ut mentem omnino absorbebat. III. Nimia sollicitudo placendi alteri conjugi, habendi liberos: ipsos educandi, illisque thesaurizandi, quam Apostolus ibi mentis divisionem appellat, quæ multis angustiis exposita est, quas eleganter prosequitur *Sixtus III. in quædam epist.* quam refert *Metina l. 1. de sacr. hominum cont. c. 15.* & cum prudentis non sit eligere aliquid mali speciem habens, & aliquot detrimenta afferens, nisi bonis aliquibus, quæ simul affert ea compensentur: ideo Sancti, & DD. tria bona constituerunt, quibus triplex matrim. detrimentum compensatur. I. servitutis detrimentum compensatur bono Sacramenti, quod invenitur in matrim. quo conjuges diligunt se, sicut Christus Ecclesiam dilexit: gratiamque recipiunt, qua facilius vinculum perpetuum tolerent, (accipitur enim hic Sacramentum, non pro ipso contractu, (sed pro vinculo indissolubili, quod est res, & Sacramentum simul.) II. detrimentum, quod est mentem voluptate absorberi; compensatur, teste *D. Aug. l. 14. de civ. Dei, c. 16.* bono prolis, quæ generatur, & educatur, ad divinum obsequium, & licet non semper ea sequatur, saltatur tamen semper in ipso fine intrinseco, ad quem matrim. dirigitur. III. detrimentum, quod est nimia sollicitudo placendi conjugi, compensatur bono fidei, idest fidelitatis: quo conjuges sibi mutuo obligantur ad reddendum debitum, negandumque corpus cuicumque alii.

Hæc autem bona non adveniunt matrim. ab extrinseco, 5
sed sunt de matrim ratione, quare non indiget eis, quasi quibusdam extrinsecis ad illud honestandum: sed quasi cauantibus in ipso intrinsece honestatem: nam bonum prolis, & fidei, id est, ut ordinetur ad prolem & mutuam fidem servandam, sitque vinculum indissolubile, ex sua natura habet: & ut sit Sacramentum, habet, in quantum est elevatum a Christo ad hoc. Unde colligitur differentia inter matrim. quod de se bonum est, & actus indifferentes: quod illud ex se, & ab intrinseco habet, unde excusentur, & compensentur detrimenta, quæ affert, nec indiget extrinseco honestante: hi autem, cum ex se boni non sint, aliquod extrinsecum honestans desiderant. Sic *D. Th. 4. d. 31. q. 1. a. 1. ad 2. & ibi Sotus q. 1. a. 1. ad 1. Enriquez l. 11. de matr. c. 15. n. 2. Petr. de Ledesm. de matrim. l. 49. ar. 2.*

Hinc infertur non esse convenientem expositionem Du- 6
randi, relatam nu. 3. non enim intendunt Sancti, & Doctores excusare actum matrimon. absolute, id est generationis, sed ipsum matrim. contractum, & actum generandi: ut ab ipso procedit, non eo quod sit malus, sed quia detrimenta secum affert.

Ad 1. Arg. ex propositis n. 2. constat ex dictis n. 5. nam actus de 7
se bonus non indiget extrinseco excusante, bene tamen aliquando bono aliquo intrinseco, quando detrimenta affert, mulique speciem præseferi. Ad 2. dico, in matrim. Virginis, & statu innocentiæ fuisse illa bona, cum sint illi intrinseca: non dici

tamen excusare illud matrim. per accidens, quia ibi deficiebant detrimenta dicta.

S U M M A R I U M.

In quo consistat difficultas; & contrahere prava intentione, an matrim. irritet, num. 8.
An quando intentio contra bona matrimonii non deducitur in pactum, sed mente retinetur, illud irritet: ponuntur duæ opiniones, num. 9. & 10.
Opinio authoris, 11.
An quoad obligationem, & executionem, sint omnia tria matrim. bona de illius essentia, 12.
Solvuntur argumenta, & explicatur c. Aliquando, 31. q. 2. n. 13.
Post num. 13. invenies alia summaria.

8 QUæstio II. Qualis finis desideretur in matrim. contrahendo, ut validum sit, an necessarium sit tria matrim. bona intendere, saltem implicite, ita ut non sit matrim. si contrahentes ea explicite excludant? Verbi gratia, si intendant contrahere, non in perpetuum, sed ad tempus, quod est excludere bonum Sacramenti, id est, vitam individuam: vel intendant non generare, nec educare prolem, sed procurare sterilitatis venena, quod est contra bonum prolis: vel intendant negare sibi invicem corpus, aliisque concedere: quod bono fidei adversatur. Nec disputamus hic, quando hæc intentio deducitur in pactum, de hoc enim late agendum est l. 5. Sed quando hæc intentio mente retinetur. Et quidem certum est, matrim. minime irritari ob quemcumque perversum finem, qui ejus substantiæ, & tribus bonis dictis minime adversetur: & ratio est, quia omnes alii, contractus, & Sacramenta, ex pessimo fine adjuncto, servatis substantialibus, nunquam annullantur. Sic docet *D. Aug. l. de bono conjug. c. 5.* & habetur *c. Solet, 32. q. 2. & D. Th. 4. d. 30. q. 1. a. 3.* quos omnes alii sequuntur, & id colligit *Abb. c. Tua, de sponsi. n. 4.* ex eo textu, ubi matrim. causa libidinis contractum ponitur ac validum. Nec adversantur huic manifestæ veritati *D. Bonav. 4. d. 30. q. 3. & Angel. Matrim. 2. n. 25.* ubi dicunt, si contrahens tantum quærat copulam extorquere, non esse matrim, quia addunt, & non uxorem ducere: quod verissimum est: quia deficit consensus ad matrim requisitus.

9 Tota autem difficultas est, quando intentio contra bona matrimon. non deducitur in pactum, sed mente retinetur, utrum matrim. irritetur? Triplex est sent. I. dicit irritari, ut si contrahentes intendant, nec educare prolem, & venena procurare, ad eam impediendam, vel sibi metipsis debitum negare; secus, si intendant etiam aliis commisceri: primum enim pertinet essentialiter ad fidei bonum, secundum vero, accidentaliter. Probatur *ex D Aug. l. 1. de nup. & concupiscentia c. 15.* & habetur *c. Aliquando 32. q. 2.* ibi, *Qui contrahunt eo animo, ut vel filios non suscipiant, aut susceptos enecent, non habeant connubium.* 2. quia ad matrim. necessarius est consensus, saltem implicitus, in ea, quæ sunt de ejus essentia, sed prædicta bona sunt essentialia matr. saltem in suis principiis, *teste D. Th. 4. d. 31. q. 1. art. 3.* ergo excludens consensum in illa, per intentionem contrariam, annullat matrim. 3. quia illa intentio habita in matrim. licet non exprimatur, ipsum irritat, quæ per modum conditionis expressa, illud dirimeret, sed hujusmodi est intentio contra bona matrim. ergo. Prob. major, quia sola conditio contra bona essentialia matrim. illud dirimit; intentio autem contra eadem bona similiter excludit matrim. essentiam, sicut & conditio expressa. Hanc tenent *Gl. c. Aliquando 32. q. 2. verb. Et si ab initio. Turrecr. post c. Sicut non omnis; §. His itaque ar. 1. 32. q. 2. Angel. Matrim. 2. n. 23. & seq.* Et ex Theologis, *Ric. 4. d. 31. a. 2. q. 1. Vvaldensis de sacr. c. 131. Petr. de Soto lect. 26. de matr. initio. Enriquez lib. 11. de matr. c. 12. n. 7.*

10 II. Sent. docet intentionem contrariam matrim. substantiæ, ejusque bonis mente retentam, non irritare illud: ut si quis intendat tantum ad tempus, inire matrim. Prob. quia ad matrim. constituendum consensus internus, & signa externa desiderantur, & nec consensus sine signis, nec signa sine consensu aliquid operantur: ergo quæcumque conditio nullo signo expressa, sed sola mente retenta, nihil operatur ad irritandum. Hanc tenent *Ant. c. De infidelib. n. 9. de consang. Rosell. Matrim. n. 3. 11. Sylv. Matrim. 4. q. 5. & 6. Lancell. inst. juris Canon. l. 2. de sponsi. §. Sponsalia contracta sub conditione, verb. Puta,* & aliqui Theologi, ut refert *Petrus de Ledesm. de matr. q. 48. a. 2. dub. 1.* & de proposito non consummandi, modo non deducatur in pactum, docent idem *Abb. c. Commissum, n. 2. de sponsal. & ibi Alex. de Nevo, n. 5. Præpos. n. 4.*

11 III. Sent. cui adhæreo, docet, contrahentem matrim. debere saltem implicite intendere bonum Sacramenti, quod evenit, quando non habet intentionem contrariam: non tamen esse opus, ut implicite intendat alia duo matrimon. bona: quare si haberet animum etiam corde retentum; adversum bono Sacramenti, quia scilicet intenderet non contrahere matrim. nisi ad tempus, non esset verum matrim. si tamen haberet intentionem adversam aliis duobus matrim. bonis, corde solo retentam, nec in pactum deductam, valeret utique: ut si intenderet vitare prolem, & habitam non educare, debitum negare, & adulterari. Prob. prioris pars, quia de ratione matrim. est vinculum esse perpetuum, ut constat ex ejus definitione tradit hoc 2. l. disp. 1. n. 1. ergo qui intendit matrim. inire dissolubile, & ad tempus, vere non intendit matrim. cum intentio adversetur essentiæ. Prob. posterior pars, quia ea intentio, nil attinens ad contractus substantiam autem, quia si ille velit absolute contrahere, obligatur ex vi contractus, ad non agendum aliquid contra prædicta bona, non obstante sua intentione. Et confirm. quia stat velle obligari ad aliquid faciendum, & adesse animum non implendi: ut qui vere jurat animo violandi juramentum: nec ea intentio tollit obligationis valorem, ergo similiter stare potest matrim. validum contrahere, cum intentione non servandi fidem. Hæc sent. videtur expresse *D. Th. 4. d. 31. q. 1. a. 3. corp. & D. Bon. ibi. a. 1. q. 3.* ubi hæc dicunt, *sine bono Sacramenti numquam est matrim. ut potest esse sine fide, & prole, non tamen esse matrim. si in consensu exprimeretur aliquid contrarium fidei, & proli.* Ecce qualiter tantum intentionem contrariam bono fidei, & prolis dicunt annullare matrim. quando deducitur in pactum. Videtur etiam expresse *Adrianus 4. q. 3. de matr. dub. 9. §. Respondeo ad 1. quod major. procedit, in fol. ad 1. 2. & 3.* & tenet aperte *Pal. 4. d. 39. q. 2. a. 1. concl. 1. n. 4. D. Antonin. 3. p. t. 1. c. 19. ante §. 1. fine, Tabiena Matrim. 2. q. 3. n. 4. Petr. de Ledesma, de matrim. q. 48. art. 2. dub. 1. Lud. Lop. 2. p. instr. de matrim. c. 42. §. Porro ex prædictis.*

12 Id tamen observandum est, aliud esse sentiendum de tribus matrim. bonis, quoad obligationem, & aliud quoad executionem: nam quoad obligationem, omnia illa sunt de matrim. essentia: obligantur enim conjuges ex vi matrim. ad vitam individuam & reddendum sibi debitum, prolemque non impediendam, & habitam educandam. Et hoc aperte sentit *D. Th. 4. d. 31. qu. 1. art. 3. corpore,* ubi hæc ait, *fides, & proles secundum quod considerantur in suis principiis, ut pro prole accipiatur intentio prolis, & pro fide debitum servandi fidem, sine quibus matrim. esse non potest, & sic accipiendo fidem, & prolem, sunt essentialissima in matrimon.* Idem *Ricard. 4. d. 31. a. 2. q. 2. Turrecr. post c. Sicut non omnis, §. His itaque a. 2. 22. q. 2. Petr. de Ledesm. proximo citatus.* Immo dicunt optime *Ricard. & Turrecr. ibi,* non tantum esse bonum fidei essentiale quoad obligationem reddendi sibi ipsis debitum; sed etiam quoad obligationem servandi fidem, non tradendo alteri corpus: cujus contrarium male dixit *Angel. Matr. 3. Imped. 3. n. 11.* Si tamen considerentur hæc quoad executionem, & in seipsis: sic bonum Sacramenti, quod est indissolubile vinculum, est de essentia Sacramenti matrim. non autem fides, & proles, ut optime docet *ibi D. Th.* Hinc fit, ut intentio contraria bono Sacramenti irritet matrim. non autem intentio contraria bono fidei, & prolis: si tamen adversetur intentio fidei, & prolis, quoad sua principia, similiter irritare matrim. ut si quis contraheret non intendens se obligare ad educandam prolem, vel non impediendam, vel ad servandam fidem, esset irritum matrim. quia cum hæc sint matrim. essentialia, talis intentio essentiam excludit: quod clare docet *D. Th. d. art. 3.* dum ait, matrim. sine his bonis consistere non posse: & docent *Ricard. Turrecr. & Petr. de Ledesm. proximo citatis.* Sed dices, si quis contrahat animo se obligandi ad vinculum indissolubile, verum esse matrim. licet intendat postea dimittere uxorem non habitando cum ea; quod idem videtur contingere in bono fidei, & prolis, ut diximus: ergo frustra constituitur hæc differentia. Respondetur, ad bonum Sacramenti minime pertinere, non separari ab uxore dorum, sed tantum, ut vinculum sit indissolubile: ad bonum autem fidei, & prolis pertinere, non tantum obligationem ad ea servanda, sed etiam ipsorum bonorum executionem: unde recte dicit *D. Th.* bonum Sacramenti semper esse de essentia: non vero alia bona: & in hoc versatur differentia.

13 Tandem respondetur ad arg. proposita n. 9. 10. Ad 1. primæ sent. dico id *c. Aliquando,* intelligi quando ea intentio deducitur in pactum. Ad 2. constat ex dictis n. præc. quando enim excluduntur ea bona in suis principiis, idest, quoad obligationem, irritatur matrim. Ad 3. negatur major, & ad probationem dico, quando intentio est contra bonum prolis, & fidei, ut sunt substantialia, idest, quoad obligationem, similiter irritare; & ideo irritat conditio contraria in pactum deducta, quia prædictam obligationem excludit: quod secus est de simplici intentione. Ad arg. secundæ sent. dico consensum sine signis, vel signa sine consensu, nihil operari ad constituendum matrim. sed utrumque exigi, ad destruendum vero alterutrum sufficere: hic autem deest consensus legitimus, cum ille contrarius sit matrim. substantiæ.

S U M M A R I U M.

Ad quem finem institutum sit matrimonium, num. 14.
Pulchritudo, divitiæ, & alii hujusmodi fines, qualiter possint in matrimonio inveniri, 15.
An sit lethale peccatum, contrahere matrim. ob fines ipsi extraneos: referuntur variæ sententiæ, n. 16. 17. 18. & 19.
Quando matrim. non contrahitur ratione copulæ, licitum est, licet non intendatur soboles, aut remedium concupiscentiæ, ut contingit in Virgine, 20.
Qualis culpa sit dum matrim. ordinatur ad copulam, intendere fines extraneos, 21.
An sit culpa matrimonium ordinare ad paces componendas, num. 22.
An sit mortale, si contrahens adverteret ad finem matr. principalem,

Item, alium extraneum illi præferat, 23.
Quid, quando illi fines extranei intenduntur secundario, 24.
An communiter excusentur a culpa contrahentes ob fines indifferentes, ut divitias, n. 25.
Quid de fine vitandæ fornicationis, nu. 26. & quid quando finis est venialis, ut vana gloria, 27.
Quotuplex culpa sit contrahere ob finem mortalem, 28.
Qualiter peccet contrahens, si expressa intentione excludat matrimonii fines, 29.

14 QUæstio III. Quis finis desideretur in contrahentibus matrimonium, ut culpæ immunes sint? Egimus de fine necessario, necessitate Sacramenti, id est, ut matr. validum sit: jam disputandum est de fine necessario, ut vitetur culpa: & non disputamus hic de fine intendendo in actu conjugali, hoc enim pertinet ad tractatum de debiti redditione, sed de fine in ipsomet matrim. contractu intendendo, est quæstio præsens. Præmittendum est matr. primario institutum esse a Deo in naturæ officium, ad propagationem fobolis: unde Adamus ore prophetico, & quasi explicans primarium matr. finem *Genes. 1.* dixit: *Et erunt duo in carne una:* scilicet per copulam ad generandum, & *Genes. 2.* benedicens Deus sponsis dixit, *crescite, & multiplicamini.* Alius autem finis per se, non tamen per se primus, sed secundarius, scilicet remedium concupiscentiæ, & vitatio fornicationis: juxta illud D. Pauli, *Habeat unusquisque suam propter fornicationem vitandam.* Et hic duplex finis est matr. cum ad copulam ordinatur. Alius autem est matrimonii finis, ratione sui ut est contractus, qui est traditio potestatis corporis alteri conjugi, & mutua animorum conjunctio; ultra hos fines non potest contrahens alios extraneos intendere, ut pulchritudinem, divitias, delectationem.

15 2. Supponendum est, cum *Cajet. tom. 1. tr. 12. de matr. qu. 3.* pulchritudinem, divitias, & alios hujusmodi fines, dupliciter posse in matrim. reperiri: primo, ut sint causa principalis, & finalis contrahendi, ad quam principaliter tendit, & respicit contrahens. 2. ut sint causa secundaria, & velut ratio applicationis ad contrahendum, vel ad contrahendum cum tali, licet sint causa fine qua non matrimon. iniretur. Ut si facerdos nolliet hodie celebrare, & ut morem gerat amico, celebrat: non est finis celebrationis, morem gerere amico, sed id fuit motivum, & ratio applicationis, & causa fine qua non.

16 His præmissis, quadruplex est sent. I. docet esse peccatum lethale, contrahere ob fines extraneos, ut pulchritudinem, divitias, quando sunt fines primario intenti. Prob. quia sic contrahens irrogat gravem Sacramento injuriam, illud ad extraneos fines dirigens. Hujus sent. videtur *D. Th. 4. d. 30. fine, in expositione lit.* ubi ait esse peccatum mortale, cum est causa principalis libido pulchritudinis, si esset effrenata libido. Sed potest exponi, ut nomine effrenatæ libidinis intelligat, quando est talis, ut eo animo accedat contrahens ad illam seminam, ut accederet, quamvis non esset uxor. Ejusdem sent. videtur *D. Bon. 4. d. 30. q. 3.* ait enim excludi Sacramenti utilitatem, dum quis matrim. init ad libidinem explendam: ergo sentit esse mortale, solum enim hoc fructum Sacramenti impedit: & tenet expresse *Angel. Matrim. 2. n. 25. & seq.* & eidem sent. videtur accedere *Cov. 4. decr. 2. p. c. 1. §. unic. nu. 7.* dicit enim esse grave peccatum: & refert pro se *Catharinum l. 5 contra Cajetan. c. de matrimonio.*

17 II. Sententia sustinet, nullam esse culpam, contrahere ob pulchritudinem, vel alios fines in se honestos, licet matrim. extraneos, quamvis nulla alia causa contrahendi sit. Quia cum finis in se honestus sit, non vitiat opus. Sic *Sotus 4. d. 30. q. 1. a. 2. concl. 3. Plaza de deliliis, l. 1. cap. 6. n. 34.* sed DD. pro se allegati nil dicunt.

18 III. Sentent. dicit, esse veniale contrahere principaliter ob vitandam fornicationem. Ducitur, quia perversio est non ordinare rem ad eum finem, ad quem primario instituta est, & quia levis est abusio, non excludit culpam venialem. Sic *Petrus de Soto lect. 16. de matr. §. Secundum prepositeram.*

19 IV. Sent. docet, nullam esse culpam contrahere ob vitandam fornicationem: quia hic est finis ob quem institutum est matrim. post Adami lapsum. Hanc sent. sequi videntur *Lex. 4. t. 2. p. 4. & Cov. 4. decr. 2. p. c. 1. §. unico. num. 7.* ubi dicunt matrimonium ineundum esse propter sobolem, vel propter vitandam fornicationem. Et videtur supponere *Armil. verb. Matrim. n. 66.* dicit enim peccare, qui non ob prolem, vel vitandam fornicationem, nuptias celebrat, & tenet expresse *Palac. 4. d. 31. disp. 2. f. 690. col. 1. §. Hæc ergo sunt duo:* tenentque multi alii teste *Petr. de Soto n. præced. allegat.* Et ejusdem sent. sunt, qui dicunt actum conjugalem exercitum gratia fornicationis vitandæ, culpa vacare.

20 Sit tamen I. Conclusio quando matrim. non contrahitur ractione actus scilicet copulæ conjugalis, tunc licite contrahitur, quamvis non intendatur soboles, nec concupiscentiæ remedium; ut contingit in matrim. B. Virginis. Prob. quia licet matrim. in ordine ad actum, sit finis soboles, & remedium concupiscentiæ, at secluso actu, & ut quidam contractus est, finis ejus proximus est, mutua animorum conjunctio, ut dixi n. 14. & ut est Sacramentum, finis est ipsa conjugum sanctificatio: ergo dum non intenditur copula, licitum est ob alios duos fines contrahere. Præterea, quia licitum est in aliquo casu contrahere matrimon. animo non consummandi, ut constat *c. Commissum de sponsi.* & tamen tunc neuter ex duobus illis prioribus, finibus intenditur. Sic *Cajet. to. 1. tr. 12. de matr. q. 3.* unde caute *Pet. de Soto n. 18. allegatus* asserens esse veniale, non intendere sobolem, addidit, quando celebratur matrimonium animo utendi illo.

21 II. Conclusio, dum matr. ordinatur ad copulam, est peccatum veniale, si non principaliter ordinetur ad sobolem, vel concupiscentiæ remedium, sed alios fines indifferentes, matrimonium extraneos, ut pulchritudinem, divitias. Prob. esse peccatum, quia inordinatio est, rem a proprio fine extrahere, & uti Sacramento ad finem ad quem non est institutum. Quod autem sit tantum veniale, probatur, nam stante hoc fine, servatur substantia, & rectus ordo ad finem principalem: nam qui sic contrahit, non constituit finem illum extraneum in eo conjugio absolute, sed in conjugio tali, semper enim manet conjugium ordinatum ad suum finem, qui est mutua corporum potestas ad actum conjugalem, ob sobolem propagandam; Hæc conclusio est contra I. & II. sent. relatas n. 16. & 17. & eam tenet *Cajet. opusc. 1. t. tr. 12. de matr. qu. 3. & in su. verb. Matr. c. Contractus matr. potest reddi ex 7. capitibus vitiosus, ad fi. vers. Sextum cap. Palud. 4. d. 30. q. 2. a. 3. nu. 24. D. Ant. 3. p. t. 1. c. 19. §. 9. Petr. de Soto alleg. n. 18. Enriq. l. 11. de matr. cap. 4. n. 2. Metina l. 1. Summæ, c. 16. §. 13. f. 231. col. 2. Petr. de Ledesma de matr. qu. 48. art. 2. dub. 2. Vivald candel. 1. p. de matr. n. 68.* & videtur tenere *Manuel 1. to. sum. 2. edit. c. 242. n. 2.* Et ex Jurisperitis *Syl. Matrimonium, 4. q. 4. Tabiena Matr. 2. q. 4. n. 5. Armilla verb. Matr. n. 66. Nav. sum. c. 22. n. 79.* & esse peccatum ob alios fines celebrare, videtur clare tenere *Lex. 4. t. 2. p. 4.* ubi dicit matrim. esse celebrandum propter sobolem, vel ad vitandam fornicationem, juxta Dei legem: & tenet *Perez lib. 5. ord. 1. 1. l. 1. fol. 20. §. Ex quibus infertur.*

22 Hinc infertur, similiter esse peccatum veniale, contrahere principaliter ob paces componendas inter aliquos: quia quamvis hic finis in se honestus sit, est tamen matrimonio extraneus. Sic *Palud. D. Ant. Sylv. n. præced. allegati.*

23 II. Infertur, non esse admittendam moderationem *Tabienæ, v. Matrimonium, 2. q. 4. n. 5.* ubi moderatur conclusionem præcedentem, nisi contrahens matrim. dum principaliter finem extraneum intendit, adverteret ad principalem matrim. finem: tunc enim mortaliter peccare affirmat. Sed hoc non est verum: nam res hæc non est adeo gravis, ut culpam mortalem constituat: & inordinationem, ex qua culpa venialis confurgit, in eo versari ait *Caj. quem n. 21. allegavi,* quia præponitur fini primario finis secundarius, qui debito ordine servato postponendus erat.

24 III. Conclusio, si fines indifferentes, matrimonio extranei, sint solum causa secundaria, & applicationis ad contrahendum, nulla est culpa, quia nulla est debiti finis inordinatio, stante enim illo motivo, servatur finis matrim. debitus. Et confir. quia si sacerdos alias non celebraturus hodie, ut morem gerat amico petenti, applicet se ad celebrandum, nullo modo peccat: quia non constituit amicum suæ celebrationis finem, sed est causa secundaria, ergo similiter in nostro casu. Sic *D. Th. 4. d. 30. fine, in expos. lit. Turaq. l. 2. connub. gl. 1. n. 28. Ang. Matr. 2. n. 25. 26. Collectarius c. Ad dissolvendum, de desp. impub. Assensis sum. l. 8. t. 9. ar. 1. fine, Navar. sum. lat. c. 22. n. 79. vers. 6. Cov. 4. decr. 2. p. c. 1. num. 7. Palud. Cajet q. 3. D. Ant. Sylv. Petr. de Ledes. Enriquez, Vivaldus Manuel ubi eos retuli, n. 21.*

25 Hinc infertur communiter excusari a veniali contrahentes matr. ob fines indifferentes matrim. extraneos: quia communiter non eligunt ut fines, sed ut rationem applicationis ad matr. vel ad matrim. cum tali: & manet finis matrim. debitus, etiamsi de illo nihil cogitent: quia eo ipso quod matrim. contrahere intendunt, nisi finem debitum expresse excludant, illum virtualiter, & implicite intendunt. Sic *Cajet. to. 1. tr. 12. de matr. q. 3. Cov. 4. decr. 2. p. c. 1. §. unico, num. 7.*

26 IV. Conclusio, quando contrahitur matrim. in ordine ad copulam, si contrahentes fint tales, ut secundum communem spem possint habere prolem, est peccatum veniale contrahere principaliter gratia vitandæ fornicationis: & in hoc casu est vera tertia sent. relata n. 18. si vero non possit juxta communem spem, prolem generare, nulla est culpa: & in hoc casu est vera quarta sententia relata num. 19. Probatur prior pars, quia contra rationis ordinem præponitur secundarius matrim. finis primario. Prob. posterior pars, quia quando finis primarius est impossibilis, licitum est eligere secundarium, non enim id, quod est impossibile, potest intendi. Item, quia alias senes generationi inepti, semper peccarent contrahendo. Sic *Palud 4. d. 30. q. 2. a. 3. n. 23. Cajet. sum. verb. Matrim. tit. Contractus matrim. potest reddi ex 7. capitibus vitiosus, ad finem, vers. Sextum caput. D. Ant. 3. p. t. 1. cap. 19. §. 8. Angel. Matrim. 2. n. 26. Sylv. Matrim. 4. qu. 4. Metina l. 1. sum. c. 16. §. 13. fol. 231. col. 2.*

27 V. Conclusio, contrahere principaliter matrim. ob finem venialem, ut ob vanam gloriam, est culpa venialis: quia talis est actus, qualis finis, *c. Cum minister, 23. qu. 5.* Sic *Nav. sum. c. 22. n. 79. Manuel 1. tom. sum. 2. edit. c. 241. n. 2.*

28 Hinc infertur, si finis contrahendi sit lethalis, esse similiter lethale contrahere: quod constat eadem ratione, & a nemine negatur: imo erit duplex culpa lethalis, altera, indignæ Sacramenti receptionis; & altera, pravi illius finis: ut bene ait *Petr. de Led. de matr. q. 48. a. 2. dub. 2.* Imo credo esse triplicem culpam lethalem, tertii desiderii consequendi illum malum finem:

finem: quia desiderare rem lethaliter malam, est culpa lethalis, distincta a sacrilegio ordinandi rem sacram ad illam obtinendam.

29 Ultima Concl. si contrahentes expressa conditione excludant matrim. fines, peccant lethaliter: quia sacrilegium est gravis injuriæ Sacramentis illatæ, expresse excludere finem, ad quem institutæ sunt. Sic *Tabiena, Matrim.* 2. q. 4. *n.* 5. *Enriq. lib.* 11. *de matr. c.* 4. *n.* 2. *Petr. de Led. de matr. q.* 48. *a.* 2. *fine.*

DISPUTATIO XXX.

Utrum satis sit ad matrim. consensus internus?

SUMMARIUM.

Non satis est internus consensus: & explicantur c. Cum locum, & c. Tuæ de sponsal. num. 1.
Opinio affirmans externa signa esse tantum conditionem sine qua non: & ita Deo revelante utrique consensus, esse matrimonium, 2.
Contraria exterior, 3.
Et solvuntur argumenta, 4.

1 RES est certa inter Catholicos, non satis esse consensum internum, sed oportere verbis, vel signis exprimi. Cujus contrarium tenuit Vvicleffus, quem late impugnat *Vvaldens. de sacr. c.* 132. & ratio est, quia si consideretur matr. ut est contractus, cum celebretur inter homines interiora cordis ignorantes, petit signo externo internum consensum aperiri; si autem ut est Sacramentum, de ratione Sacramenti est, esse signum sensibile. Nec obstant *c. Tuæ, & c. Cum locum, de spons.* ubi habetur solos consensus efficere matr. & verba necessaria esse quoad Ecclesiam; quia dupliciter resp. 1. satis esse solum consensum, id est, non desiderari verba determinata, sicut in aliis Sacramentis, sed satis esse quibuscumque verbis, vel signis consensus interni patefiant, & exigi verba ad faciliorem probationem in foro externo. Vel 2. dic dictionem exclusivam, non excludere concomitantia, & ita minime excludere expressionem per signa externa, quæ concomitantur ipsum consensum in omni humano contracto: ita & *Alex. III. c. Licet de sponsa duorum*, ubi dixit legitimum consensum efficere matrimonium; subdit, quasi id explicans, *ita quod unus alterum in suo mutuo consensu verbis expresse recipiat.*

2 Difficultas autem est, an externa signa solum se habeant ad constituendum matr. tanquam conditio sine qua non, quasi per illa innotescant mutui consensus, & ita si Deus eos contrahentibus revelaret, esse matr. absque aliquo signo externo. Qualem affirmant, quia (ut hoc l. disp. 11. n. 28. dixi) quando contrahitur inter absentes per procuratores, expressio consensuum absentium facta per procuratorem, est tantum conditio sine qua non, per eam enim innotescit voluntas absentium: ergo similiter, quando contrahitur inter præsentes, expressio consensuum erit conditio sine qua non, ut utrique constet mutua voluntas, & subinde constanti per Dei revelationem, erit matr. Sic *Majoris* 4. *disp.* 26. *q.* 1. *ad* 7. & dixit probabile *Veracruz* 1. *p. spec. a.* 3.

3 Sed probabilius est necesse de ratione ipsius contractus: quare matr. minime consistere Deo revelante utrique mutuos consensus; Prob. quia in matrim. est exterior corporum traditio, hæc autem fieri nequit per actus internos, ergo. Prob. minor, quia votum internum non est traditio, nec professio, non ob aliud, nisi quia ad perfectam traditionem requiritur perfectus actus humanus constans interno, & externo consensu. 2. quia matr. ut est Sacramentum, necessario, & intrinsece est sensibile signum, ea enim est Sacramenti definitio: ergo ut est contractus; nam Christus non mutavit Sacramenti matrim. ut est contractus, natura, sed ad Sacramenti esse elevavit. Et ita hanc partem sustinent *Almain.* 4. *d.* 15. *q.* 2. *Victoria sum. de matr. n.* 250. *Sot.* 4. *d.* 27. *q.* 1. *a.* 3. *concl.* 1. *vers. Verumtamen. Ledesma* 2. *p.* 4. *q.* 37. *art.* 2. *f.* 448. *col.* 4. *Palacios* 4. *d.* 27. *disp.* 1. *f.* 568. *col.* 2. *Angles floribus* 1. *p. de matr. q.* 1. *de essentia matrim. d.* 27. *art.* 2. *diff.* 2. *f.* 528. *Petr. de Ledef. de matr. qu.* 45. *a.* 2. *dub.* 1. *ante solut. ad argumenta.*

4 Ad arg. contrarium propositum nu. 2. dico, expressionem consensuum, ut proficiscitur ab ipsis contrahentibus, esse de matrim. essentia tanquam materiam, & formam ipsius: ut autem explicatur per procuratorem, esse tantum conditionem sine qua non, quare dicendum est externam expressionem semper esse de essentia, sive inter præsentes, sive inter absentes celebretur matrimonium.

DISPUTATIO XXXI.

Utrum sufficiat consensum matrimonialem signis exprimi, vel necessario verba desiderentur?

SUMMARIUM.

In quo versetur difficultas, & quot quæstiones sit disputandæ, num. 1.
Utrum in potentibus loqui sint necessaria verba, ut valeat matrimonium: referuntur très sententiæ, 2. 3. *& 4.*
Verbum, Debet, importat necessitatem, & quod necessarium est, formam importat, 2.
Expressum non dicitur, quod sit per aliquod signum, vel generalitatem, 3.
Ponitur verior opinio, n. 5. *& ibi nihil refert, quid ex æquipollentibus fiat.*
Solvuntur argumenta, & explicantur c. Tuæ, c. Consultationi, & c. penul. de sponsal. & c. Licet, de sponsa duor. n. 6. *& ibi, necessarium non quoad substantiam, sed quoad probationem, potest per æquipollens impleri: & quando responsum, vel epistola principis constituat jus.*
Utrum sit Sacramentum matrimonium signis contractum: ponitur opinio negans, num. 7. *& affirmans*, 8.
Utrum sit aliqua culpa solis signis contrahere: ponitur quædam opinio, num. 9. *& contraria verior*, 10.
Per quæ verba, aut signa contrahatur matr. & an satis sit parentes vel alios nomine sponsorum respondere, remissive, 11.
Uter conjugum debeat prius interrogari, & verba proferre, 12.

IN loquela carentibus dubitat nemo, satis esse signa: cum id expressum sit *c. Cum apud, & c. Tuæ, de sponf.* Verfatur autem difficultas in potentibus loqui: quæ 3. quæstiones disputandæ sunt. I. an verba sint necessaria, ut matrim. valeat. II. an matrim. solis signis contractum sit Sacramentum. III. an sint necessaria necessitate præcepti verba. 1

Quæstio I. An verba desiderentur ut matr. valeat? Quadruplex est sent. I. tenet in potentibus loqui: verba ita esse necessaria, ut solis signis celebratum matr. sit prorsus nullum. Fundamentum hujus sent. in eo consistit, quod Ecclesia statuit hoc impedimentum dirimens matr. in potentibus loqui, quando scilicet, solis signis contrahunt: & sic licet stando in jure naturæ validum esset matr. hoc, sicut est validum in mutis: at jure Ecclesiastico est irritum: quod ex sequentibus probatur. 1. *ex c. Tuæ, de sponsal.* ibi, *matr. in veritate contrahitur per legitimum consensum, sed necessaria sunt quantum ad Ecclesiam verba consensum exprimentia: nam surdi, & muti possunt contrahere sine verbis, & pueri ante annos legitimos per verba non contrahunt, cum intelligantur minime consentire*: ubi pondero, verba esse necessaria quoad Ecclesiam, id est jure Ecclesiastico: & quod necessarium est, formam importat, hac enim ratione probant *Avenda. respons.* 14 *n.* 2. *Matienzo multos referen l.* 5. *rec. t.* 1. *gl.* 4. *n.* 6. & 7. solemnitatem requisitam per illam legem, inducere formam: quia utitur illa lex verbo, Debent esse testes, quod verbum importat necessitatem: si ergo textus requirit verba pro forma, quamvis signa verbis æquipolleant, non sufficient, quia forma per æquipollens impleri non potest, ut late probavi hoc 2. l. disp. 11. n. 19. Et confirmatur, quia textus constituit discrimen inter mutos, & valentes loqui, quod in illis signa sufficiant, in his autem verba desiderentur: si tamen in utrisque satis essent signa, nullum esset discrimen. 2. probatur ex *c. Licet, de sponsa duor. & c. Si inter, de sponf.* ubi dicens Pontifex matr. consensu iniri, quasi id temperans, subdidit, *ita ut unus alterum verbis consuetis expresse recipiat, utroque dicente*: expressum autem non dicitur, quod per signa, vel sub generalitate fit, ut notatur, *c.* 2. *de resc. in* 6. *& Clem. appellanti de appell.* 3. quia *c. Consultationi, de sponf.* ponderat Pontifex, *cum verba prouisissent.* 4. quia in matr. non spirituali verba sunt necessaria, *c. Cum inter canonicos, & c. Quæ propter de electione*, ubi in Episcopi electione, quæ matr. spirituale est, requiruntur verba: & notat *Everard. loco a matr. carnali, n.* 10. ergo similiter in matr. carnali: valet enim argumentum a matr. spirituali ad carnale; ut late probat *Everard. loco a matr. spirituali.* Hanc sententiam tenent ex Jurisperitis, *Gl. c. Tua jus, verb. Nec forma, de sponf. & l. Cum novissimi, C. de præsc.* 30. *vel* 49. *annorum, v. Solam, & ibi Bald. n.* 7. *& idem Bald. Ad recognoscendos, n. un. C. de ing. & man. & cons.* 165. *vol.* 2. *Bart. l. Nuptias, n. un. ff. de reg. jur. Gosse. sum.* 1. *de sponf. n.* 22. *Vinc. quam refert Lup. all.* 57. *Innoc. c. Tuæ de sponf. paula post princ. & ibi Cald. & cons.* 5. *tit. de sponf. & Præp. d. c. Tuæ*, censet esse probabilem: nam latissime quæstione hac disputata, a n. 3. ad 9. solvitur que partis arg. concludens nihil esse certum, eamdem tenet *Paul. l. Ex facto, n.* 3. *ff. de vul. Alex. cons.* 143. *n.* 1. *Henr. c. Si rector vers. Opera, d.* 43. *Additio Ant. Francisci ad Pano. c.* 1. *de sponf. vers. Circa hoc an consensus patris, Tiraq. de leg. connub. gl.* 7. *verb. Ex. prez. n.* 17. *Barbatius cons.* 6. *n.* 12. *f. l.* 1. *Gozad. cons.* 77. *n.* 9. *& Lup. de matr.* 1. *p. n.* 47. *& seq. Ant. Peta inter cons. matr. Zileti, cons.* 68. *n.* 10. *Steph. de Bonacursis inter eadem consil. cons.* 9. *n.* 2. *Zanetus de diff. juris civil. & canon. diff.* 144. *n.* 229. habetur 4. vol. tractatuum, & videtur censere esse probabilem *Greg. Lo. l.* 5. *verb. Por palabras, t.* 2. *p.* 4. dicit enim rem esse dubiam, propter varias opiniones: & tandem *Zephalu.* dixit, hanc sent. esse indubitatam post *Trid. Sess.* 24. *c.* 1. *de matr. cons.* 540. *n.* 42. *& 47. vol.* 4. Et ex Theologis, *Rican. 4. dist.* 27 *a.* 1. *q.* 3. *corp. & ad* 1. & videtur tenere *Dur.* 4. *dist.* 27. *q.* 1. nam *inst. & in fol. ad* 2. dicit requiri verba, vel signa vicem verborum gerentia: at *in fine corporis hæc*, ait, *requiruntur verba, vel nutus, qui in mutis gerunt vicem verborum.*

II. Sententia docet præcedenti tractatu de matr. contrahendo, verba non desiderari: secus eo non præcedenti. Sic *Innoc. c. Attestationes, de sponf. imp. fin. Jo. And. c. Tuæ, n.* 6. *de sponf. & ibi Henricus n.* 3. *Lapus alleg.* 57. *nu.* 17. *vers. Venio ad* 3. *Boer.* dicens communem *cons.* 35. *num.* 1. 3

III. Sententia ait, altero verba proferente, satis esse alterius signa: secus ubi conjux uterque solis nutibus consensum exprimeret. Sic *Jas. l. Si stipuler. §. Ci in locando nu.* 1. *ff. de verb. obligat.* 4

Ultima Sententia, quam prorsus tenendam existimo, docet satis esse in quibuscumque signa consensum exprimentia. Hæc sent. 5

pro-

probatur a Soto, & communiter, quia cum rei essentia invariabilis sit, si verba essent de matrimonii substantia, non posset inter mutos consistere matrim. Sed hæc ratio nihil probat: intendunt enim adversarii Ecclesiam irritasse matr. absque verbis contractum in valentibus loqui: secus autem in mutis, quod optime facere potuit. Et ideo omissa hac ratione, probatur 1. quia Christus nosuit magis materiam, & formam hujus Sacramenti determinare, quam ad rationem contractus esset necessarium; id enim satis erat ad hujus Sacramenti significationem: sed ad rationem contractus satis est, ut mutua contrahentium voluntas signis manifestetur: ergo, Sed dices id esse verum stando in lege divina, Ecclesiam autem irritasse, quando sine verbis contrahitur. Sed contra: quia cum jus divinum corrigat ea lex Ecclesiastica, irritetque contractum valde favorabilem, pro cujus valore in dubio sententia ferenda est, ut late dixi l. 1. disp. 18. n. 5. oporteret, ut expressissimis verbis irritaret: textus autem, quibus contraria sent. innititur, obscure satis id faciunt, si verum est irritare, ut constabit ex ipsorum solutione proponenda, *n.* 6. Et confirm. quia textus capitalis, cui sent. opposita innititur, est, *cap. Tuæ de sponf.* quod quidem potius probat hanc sententiam: nam consultus ibi Pontifex, an verba sint necessaria ad matrim. respondet solum consensum legitimum requiri: & non intelligit de consensu interno, ut probavi disp. præc. n. 1. sed de consensu explicito verbis, vel signis: quod manifeste prob. *ex vers. Nam & mutus*, ibi enim assignans rationem ad comprobandum solum consensum satis esse, sic ait (*nam & mutus sine verbis potest contrahere*) si enim non intellexisset, solum consensum verbis, vel signis explicitum sufficere: ille versiculus non bene corresponderet præcedentibus, nullusque rei rationem redderet. Nec obstat, Pontificem addidisse, verba esse necessaria, quoad Ecclesiam, quia non credendum est statim Pontificem se correxisse, juxta *l. Nam ad ea, ff. de cond. & demonstr.* ex vel maxime, quia non dixit absolute esse necessaria verba, sed quoad Ecclesiam, hoc est, quoad faciliorem probationem in foro externo Ecclesiæ. 2. Probatur ex *c. Ex parte, de rest. spol.* ubi textus matr. titulum probandum esse decidens: assignat rationem, his verbis, *cum per solam traditionem, quam non præcessere sponsi.* vel *consensus legitimus, nullum introducunt vinculum matrimon.* & ita videtur velle sponsalia id est, verba, vel consensum legitimum sine verbis, sufficere: natura enim alternativa est, ut altera pars sufficiat, *c. Inter ceteras, de rescrip.* 3. quia professio religionis, quæ matrimonium spirituale est, solis nutibus fieri potest, ut sit professio tacita per habitus delationem, *c. Vidua de reg.* ergo & matr. carnale: valet enim argumentum ab illo ad hoc: ut late docet *Everard. a loco matr. spirituali.* 4. quia verba requiruntur, ut denotent consensus, hi autem exprimi possunt per alia signa, ergo ea sufficient: nihil enim refert; quid ex æquipollentibus fiat, *c. Licet ex quadam de test.* maxime cum tactis magis exprimatur voluntas, *c. Dilecti, de appellat. l. De quibus, ff. de legibus.* 5. quia parte consensum exprimente, puellæ præsentis, & tacentis nomine, est verum matrim. *c. unico, §. fi. de desponf. impub. in* 6. cujus rationem reddens *D. Th.* 4. *d.* 27. *q.* 1. *a.* 2. *q.* 2. *ad* 3. inquit, *quia verba parentum reputantur puellæ; est enim sufficiens signum, quod sunt ejus, ex quo non contradicit*: ergo non requiruntur verba expressa, sed satis sunt signa. Et *c. Ii qui fidem, de sponf.* decidit matrim. contrahi copula subsecuta post sponsalia, & tamen ibi nulla sunt verba consensum de præsenti exprimentia, sed solo signo manifestatur. Et *c. fi. de conjug. servorum*, textus ponderat, *nec facto, nec verbo consensit*: ergo sentit satis esse facto, quod signum quoddam est, consentire. Tandem quia si verba essent de matrim. essentia, non pateretur pia mater Ecclesia, tanqui ignorantiam esse circa rem gravissimam, sed clare id explicuisset: quod tamen hactenus clare non explicuit: imo Conc. Florentinum in decreto de Sacramentis, cum singula Sacramenta sigillatim exponeret, dixit sic, *consensus per verba regulariter expressus, facit matrimonium*: ubi non dicit verba esse necessaria, sed oppositum denotavit, dum non dixit semper adjiberi verba, sed regulariter, id est communiter. Et ita ex Theologis videtur tenere *D. Th.* 4 *d.* 27. *q.* 1. *a.* 2. *q.* 2. *ad* 2. & 3. & tenent *Palud.* 4. *d.* 27. *q.* 2. *a.* 3. *n.* 17. *Major. ibi. q.* 1. *Supplementum Gabrielis ibi, a* 2. *concl* 3. & 4. *D. Ant.* 3. *p. t.* 1. *c.* 19. §. 1. *Victoria sum. de matrim. n.* 250. *Soius* 4. *d.* 27. *qu.* 1. *a.* 3. *concl.* 2. *vers. Ex hujusmodi, Cano l.* 8. *de locis, cap.* 5. *ad* 3. *Petr. de Soto lect.* 3. *de matr. §. Primum igitur, & §. Requiritur igitur, Vigueris lib. instit. c.* 16 §. 7. *vers.* 6. *Ledesma* 2. *p.* 4. *q.* 47. *a.* 3. & *art.* 2. *f.* 448. *col.* 4. *Catechis. ad parochos*, ubi de matrim. §. *Sed illud maxime, Bellarm. l.* 1. *de matr. c.* 8. *ad* 2. *objectionem, Veracruz* 1. *p. spec. a.* 3. & *append. ad spec. dub.* 3. *propos.* 2. *Enriq. l.* 1. *de matr. cap.* 2. *n.* 9. *Suarez* 1. *tom. de sacr. q.* 60. *a.* 8. *disp.* 2. *sect.* 1. & 2. *Gamma tr. de sacr. prestan. damnatis ad mortem, q.* 4. *n.* 6. *Palacios* 4. *d.* 27. *disp.* 1. *fol.* 562. *col.* 1. & 568. *col.* 1. & 569. *col.* 1. *Angles floribus, 1. p. de matr. q.* 1. *de essentia matr. d.* 27. *a.* 2. *diff.* 1. & 2. *f.* 528. *Grisald. verbo Matrim. n.* 16. *Lud. Lop.* 2. *p. instr. de matr. cap.* 35. *fol.* 1202. & *c.* 39. *fol.* 1055. *col.* 2. *Vivald. candel de matrim. n.* 37. *Bart. a Ledesma dub.* 17. *de matr. fol.* 1271. *Petr. de Ledesm. de matr. q.* 45. *a.* 2. *dub.* 2. *Manuel* 1. *t sum.* 2. *edit. c.* 216. *n.* 5. *Vega l.* 3. *sum. conf.* 151. Et ex Jurisperitis *gl. c. Sufficiat*, 27. *q.* 2. *initio, & cap. Si initio, de sponf. verb. Dicente, & c. Tuæ vod. t. verb. Verba*, ibi, *Host. super verb. De præsenti, & sum. cit. de matr. §. Qualiter contrahantur, n.* 10. & 11. *Ant. d. c. Tuæ, n.* 8. ubi *Card. prope fin. Anch. n.* 3. *Abb. n.* 3. *Alex. de Nevo. nu.* 15. *idem Card. d. c. Si inter, n.* 4. ubi *Abb. n.* 6. *idem Abb. c. Ex parte, de rest. spol. n.* 8. & 28. *& ibi Ant. Francisc. & Sapia. in add. ad eundem, idem Alex. de Nevo inter cons. matr. Zileti, cons.* 35. *nu.* 2. *Alex. l. Si finita. §. Meminisse, fin. ff. de novis oper. nunciat. Socinus jun. cons.* 27. *n.* 2. & 3. *volum.* 2. *Ripa l. Ex facto, n.* 1. *de vulg. & ibi Arct. in Crottus reptit. l.* 1. *in princ. n.* 9. *ff. de verb. obl. Selva referens Cyn. Baldum, Petrum, Jac. de Ravenna.* Idem tenentes, *de jurejur. 1. p. q.* 2. *n.* 2. *Nicolaus Plovetr. de sacr.* 7. *p. cap.* 2. *n.* 9. *vers. Et dicit. Bortius dec.* 1. *n.* 18. *Aret.* dicens communem, *cons.* 13. *Cagnolus, l. Nuptias, n.* 7. *ff. de reg. jur. Galiauda l.* 1 *in pr. n.* 75. *& ibi Jas. de Nigris, n.* 32. *ff. de verb. obl. Nicol. Mozius tract. de contract. rubr. de sponf. t. De subst. sponsalium, n.* 4. *& de matr. t. De subst. matr. n.* 2. *Hverard. loco a matr. carnali, nu.* 10. *vers. Secundo differunt. Rosell. Matrim.* 3. *nu.* 2. *Angel. Matr.* 2. *n.* 4. *Silv. Matrimonium* 2. *q.* 7. *Tabiena Matr.* 2. *q.* 8. §. 9. *Nav. sum. cap.* 22. *n.* 20. & videtur retinere *Lex. 5. t.* 2. *p.* 4. ibi, *conviene que lo hagan por palabras, para que se pueda probar*: & docet *ibi Greg. Lop. verb. Por palabras, Brunel. de sponf. concl.* 14. *n.* 2. *Cov. 4. decr. 2. p. c.* 3. *initio, nu.* 1. *Villalobos in commun. lit. M. n.* 54. *& seq. Ant. Gab. in mea ed. tom* 2. *commun. verb. Matr. l.* 11. *fol.* 96. *Nic. Capterettus tr. de numero testium in testa. 1. cap. p.* 10. *a n.* 93. *Ant. Cucus l.* 5. *inst. major. t.* 11. *num.* 32. *Mascard. de prob. concl.* 1024. *num.* 2. *Matienz. l.* 5. *rec. t.* 1. *rubr. gl.* 1. *nu.* 22. *Spino speculo testamentorum, gl.* 15. *num.* 3. & 13. *Humada super partit.* 1. *t.* 1. *l.* 2. *glos.* 2. *num.* 20.

Ad 1. argum. ex propositis nu. 2. respondent aliqui, Pontificem *eo cap. Tuæ* non constituere novum jus: eo quod privatæ consultationi respondeat. Sic *Abb. ibi, n.* 3. *Alex. de Nevo, n.* 15. *Præpositus, n.* 4. *initio. in fol. ad* 7. ubi advertit, principem non constituere jus respondendo consultationi particulari, nisi ex verbis, vel subjecta materia aliud appareat. *Tabiena Matr.* 2. *q.* 8. *n.* 9. *fi.* Sed hæc solutio displicet: verius enim est principem in responsione consultationi privatæ, legem generalem constituere: ut constat ex, *cap.* 1. *d.* 19. ex quo liquet epistolam Pontificis aliquod dubium intreprentatem, censendam esse decretalem, & docet glos. *c. Ex tua, verb. Consultationi de filiis presbyter.* constat etiam ex *l. fin. C. de legibus*, ubi id notat *Paul. n.* 3. ad quod confirmandum alios textus, & DD. refert idem tenen *Burgos de Paz. proœm. leg. Tauri, nu.* 450. *& seq.* ubi magis indubitatum censet hoc esse in epistola Summi Pontificis, quam aliorum principum, & *n.* 454. cum aliis concludit, responsionem, vel epistolam principis ad juris declarationem promanantem constituere legem generalem: per *legem* 2. *C. de legibus*, ibi, *vel consultatione*. Ideo melius responderur, ut explicui n. præcedenti, verba esse necessaria quoad Ecclesiam, id est, quoad clariorem probationem: ut bene *Ant. ibi, n.* 8. *Card. prope finem, Panor. fine, Alex. de Nevo n.* 15. *Præp. nu.* 6. *gl. c. Sufficiat, init.* 27. *q.* 2. *& lex. 5. tit.* 2. *p.* 4. quare non excluditur alius probandi modus: quod enim necessarium non est quoad substantiam, sed quoad probationem, potest per æquipollens impleri; ut bene docet *Card. ibi.* Vel potest dici, verba esse necessaria; id est, utilia ad meliorem probationem: sic *Card. & Præpos. ibi, Cov.* 4. *decr.* 2. *p. c.* 4 *initio, num.* 1 Quia etiam explicat, verba esse necessaria, id est, signa, inter quæ verba obtinent principatum. Ad confirm. nego id discrimen statui, sed Pontifex statuere voluit non esse necessaria verba, idque probat, eo quod multi absque verbis contrahere possunt. Ad 2. desumptum ex *c. Licet, & c. Si inter*, dico ea verba, per quæ contrahitur matrimonium, non proponi ad certam formam præscribendam, ut bene docet *Præp. d. c. Tuæ nu.* 6. *ad fin.* sed exempli gratia, quod regulam non arctat: *cap.* 1. *Ne clerici monac.* Ad 3. dico *eo c. Consultationi*, narrari factum, quod contingit: non autem ut jus importetur. Ad 4. dico plurimas esse differentias inter utrumque matrimon. quas late prosequitur *Everard. loco a matr. carnali, & n.* 10. hanc constituit. Et præterea in aliquo matrim. spirituali, ut professione, verba non requruntur: ut ostendi num. præcedenti. 6

Quæstio II. Utrum matr. solis nutibus contractus, sit Sacramentum? Aliqui negant: quia *Florentinum in decr. de sacr.* docet omnia Sacramenta constare rebus, & verbis. Et confirm. quia alias absolutio, & Baptismus possent solis signis celebrari. Sic *D. Th.* 4 *d.* 1. *q.* 1. *arg.* 5. *juncta solut. Soius* 4. *d.* 26. *q. unica, sit. L.* §. *Sed hic est dubium, Cano l.* 8. *de loc, c.* 5. *ad* 3. 7

Sed contrarium tenendum est. Quia (ut probavi hoc 2. lib. disp. 51. n. 27.) omne matr. fidelium est Sacramentum: & idem tenet dicens esse commune omnium Theologorum & jurisperitorum, *Enriq. l.* 11. *de matr. c.* 2. *n.* 6. *comment. lit. N. Manuel 1. tom. sum. edit. c.* 216. *nu.* 5. Nec obstant adducta in contrarium: quia Florentinum intelligit constare omnia Sacramenta verbis, vel aliquo gerenti vicem verborum: ut sunt signa in matrim. & ita ipsemet loquens de matrim. dixi regulariter verbis constare ad denotandum non semper requiri. Nec est simile de aliis Sacramentis: quia matrim. est contractus, de cujus natura est, ut possit etiam nutibus celebrari. 8

Quæstio III. Utrum saltem verba sint de necessitate præcepti? Aliqui affirmant: dicuntque præceptum hoc statuit *c. Si inter, de sponf. & cap. Licet, de sponsa duorum*, ibi, *si inter virum, & uxorem legitim. consensus interfuerit, ita quod unus alterum verbis consuetis recipiat.* Sic *Petr. de Ledef. de matrim. q.* 45. *a.* 2. *concl.* 2. *Manuel* 1. *tom. sum.* 2. *edit. c.* 216. *n.* 5. *Enriquez* licet non ita absolute, dicit enim aliquo modo videri de Ecclesiæ præcepto, *l.* 11. *de matr. c.* 2. *n.* 6. fatetur tamen *in comment. lit. M.* esse solum veniale signis contrahere: idem *Petr. de Ledef. d. art.* 2. *concl.* 3. quia res est levis.

9 Mihi tamen multo certius est, nullum esse de hoc Ecclesiæ præceptum, quia textus citati id non probant, solum enim narrant factum, & exemplificative loquuntur: ut bene docet *Præp. c. Tuæ, n.6. ad fin. de sponſ.* & ita videtur tenere *Sot. 4. d. 24. q.1. a.3. concl. 2. verſ. Ex hujusmodi*, ubi æquum esse ait verbis contrahere; si autem esset præceptum, non ita loqueretur: idem videtur sequi *Lex. 5. tit. 2. p. 4.* ibi, *conviene que se haga por palabras, para que se pueda probar*: & tenent *Veracr. 1. p. spec. a. 3. ad fin. Pal. 4. d. 27. disp. 1. fol. 569. Bart. a Ledesm. dub. 13. matr. fol.* 1271. Fateor tamen culpam esse venialem non exprimere verbis, sed solis signis consensum, nisi justa causa excusaret. Quia a recta ratione alienum est in hoc gravissimo contractu, non exprimere consensus commodiori modo possibili, verba autem melius, & clarius, quam signa, consensum exprimunt: & ita fatentur *Veracruz, & Bart. a Ledes.* qui bene hoc intelligit, dummodo externa signa sufficienter consensum exprimant: alias esset mortale, si consensus redderetur dubius, unde scandala, litesque oriri possent: idem docent *Enriquez n. præced. alleg.* dicit enim non esse mortale, secluso scandalo.

10 Quæ autem verba sufficiant ad matrimon. constituendum, dixi lib. 1. disp. 18. & seq. & quæ signa, disp. 22. & an satis sit parentes, vel alios nomine contrahentium respondere, dixi disp. 23. eod. l. 1.

11 Uter autem conjugum debeat prius interrogari, & verba proferre? dic breviter nihil referre, uter illorum incipiat: quia licet *c. Si inter de sponſ. & c. Licet de sponsa duo.* prius verba non proponantur, id tamen narrative fit, & non dispositive. Sic *Jo. Andr. d. c. Sic inter, n. 3. Ant. n. 3. Card. ibi, initio, Cov. 4. decr. 2. p. c. 4. initio, n. 6.* qui dicit honestum esse, ut prius femina interrogetur: sed melius *Joan. And. Ant. & Card.* dicunt honestius esse a viro initium sumere: quia in iis testibus prius verba viri proponuntur: tum, quia vir caput est, tum etiam, quia feminæ verecundiæ subjectiores sunt.

DISPUTATIO XXXII.

Utrum necessarium sit utriusque conjugis consensum, simul absque temporis intervallo præstari?

SUMMARIUM.

Quot quæstiones tractandæ sint, num. 1.
Opinio asserens necesse esse simul præstari, 2.
Et contraria verior, 3.
An credendum sit, quando alter non statim consensit alteri dicenti se revocasse consensum, 4.
Solvuntur argum. & explicatur c. Si inter, de sponsal. num. 5.
An sufficiat quodcumque temporis intervallum: ponitur opinio affirmans, 6.
Contraria verior, nu. 7. *& ibi, quid quando contrahitur per procuratorem.*
Quando consensus alterius fuit minus legitimus, ut fictus, vel metu extortus, an sufficiat postea consentire: ponitur opinio negans, n. 8. *& contraria verior,* 9.
Valet argumentum a fortiori, 8.
Non requiritur tunc intimari aliquid alteri conjugi, sed ipso ignorante potest innovari consensus, nu. 10. *& an satis sit interne renovari, & quid, quando utriusque consensus nullus fuit ratione metus, vel quia fuit fictus, nu.* 11. *& ibi quid in sponsalibus ficte contractis.*
An satis sit, quæcumque temporis distantia intercedat, n. 12. *& an requiratur coram parocho, & testibus,* 13.
Utrum qui ficte professus est, aut invalide ratione metus, possit actu interno valide profiteri, 14.
Et solvuntur argumenta, 15.
An hæc sint per Tridentinum correcta, ponitur opinio affirmans, num. 16. *& contraria,* 17.

1 Quatuor quæstiones agitandæ sunt. I. an necesse sit consensus esse simul. II. an sufficiat quodcumque temporis intervallum. III. de ficte consentiente, vel metu, an possit matrim. prius invalidum sufficere denuo consentiendo. IV. an hæc correcta sint per Tridentinum.

2 Quæstio I. Utrum necessarium sit consensum utriusque conjugis simul tempore præstari? Duplex est sentent. I. affirmat. Quia in aliis contractibus id requiritur, teste *gloss. l. Consensu, verb. Consentire, ff. de act. & oblig.* 2. quia in aliis Sacramentis simultas materiæ, & formæ requiritur: consensus autem verbis expliciti, sunt materia, & forma hujus Sacramenti: ut dixi hoc 2. l. disp. 5. n.6. 3. quia *l. Continuus, ff. de verb. obl.* petit utroque contrahentes sibi ipsis respondere, antequam ad alia divertant. 4. quia *c. Si inter, de sponsal.* requiritur mutuus consensus: qualis non est, dum inter consensus ipsos mora temporis intercedit. Sic *Speculator, t. de sponſ. §. 1. n. 5. ver. Secus. Joan. And. d. c. Si inter, nu. 2.* ubi *Collectarius* (ut refert *ibi Alex. de Nevo, n. 10.*) *Abb. c. Dilect. de Sponſ. fin. Ant. conſ. 54. Anch. c. Ex litteris, el 2. de sponſ fin. Alex. conſ. 154. fin. vol. 5.* & hanc dicit in rigore veriorem *Alex. Carrer. l. 4. de sponsal. c. 3.*

3 II. Sent. multo probabilior, ait, id non requiri, sed satis esse temporis mora intercedente, consensus ab utroque præstari, modo consensus prioris conjugis revocatus non sit. Prob. 1. quia in omni contractu satis est consensus diverso tempore adhiberi, *l. 1. ff. de verb. oblig. & l. 1. §. Sed verior, ff. de contrah. empt.* & constat in omnibus contractibus per nuncium, litteras, vel procuratorem initis: Deus autem matr. instituens in Sacramenti esse, contractus naturam minime mutavit. Et confirm. quia valide contrahitur matrimonium per litteras, vel procuratorem (ut late probavi hoc 2. l. disp. 11. & 12.) & tamen consensus tunc non simul præstantur. 2. quia hoc etiam reperitur in Sacramento pœnitentiæ, ubi audita confessione potest multo tempore absolutio differri, Hanc tenent *D. Th. 4. d. 29. q. unic. a. 3. quæst. 2. ad 2. Ricard. eod. d. a. 1. q. 3. Major. 4. d. 27. q. 1. & ibi Sot. q. 1. a. 3. ver. Nihilominus respondetur, & verſ. Sed alia hinc nascitur, Petr. de Soto lect. 3. de matr. §. Primum igitur, & §. Requiritur igitur, Ledesm. 2. p. qu. 47. art. 2. fine Veracruz 1. p. spec. a. 2. §. Sed an sit matr. Palacios 4. d. 27. q. . fi Lud. Lop. 2. p. instruct. de matr. c. 39. f. 1056. Enriq. lib. 11. de matr. c. 3. n. 6. Petr. de Ledesm. matr. q. 45. a. 3. dub. 2. Vivald. candel. 1. p. de matrim. n. 42. Bart. de Ledes. de matr. dub. 17. f. 1272. Manuel 1. t. sum. 2. edit. c. 216. n. 8. & c. 208. n. 7. Vega l. 3. sum. casu 75.* Et ex jurisperitis, *gloss. cap. Dilectus, fine, de sponsal. ibi Hostiens. super verb. Contrario, & ibi Joan. Andr. n. 7. Anch. n. 3. Henric. n. 3. Alex. de Nevo, n. 19. Præpos.* dicens communem, *n. 2. Archid. c. Sufficiat, 27. q. 2. n. 1. gloss. Abb. Cum inter canonicos, de elect. n. 6.* & dicit optime facere illum textum, quia contrahitur ibi matrimonium spirituale, licet consensus eligentis, & electi non concurrant eodem tempore. *Calderinus cap. Si inter, de sponsal. ibi Ant. n. 4. Card. n. 4. q. 1. Alex. de Nevo, n. 12. Præpos. nu. 3. Zazius conſ. 4. n. 8. & conſ. 2. nu. 25. vol. 2.* & refert *Corsetum, Crottum, & Card. Florent. Parisius* alios referens, *conſ. 55. n. 16. vol. 4. Alex. l. Si stipuler, fi. ff. de verb. oblig. Jo. Lup. rubr. de donat. §. 50. n. 20. Angel. Matrim. 2. n. 3. Silv. Matr. 2. qu. 6. Tabiena Matr. 2. q. 7. n. 8. Nav. sum. c. 22. n. 80. Brunellus de sponsal. concl. 13. n. 2. Cov. 4. decr. 2. p. c. 4. Init. n. 7. Greg. Lop. l. 10. verb. Ni consienten, t. 1. p. 4. Azebedo lib. 6. rec. t. 16. l. 2. n. 20. ad fin.*

Id tamen observandum est si altero non statim consentiente, prior qui consenserat, affirmet se consensum revocasse, credendum esse ei, quia in dubio præsumitur sub conditione consensisse, si alter statim assensum præbeat. Sic *Ant. c. Si inter, num. 4. de sponsal.* 4

Ad 1. argum. propositum n. 2. respondetur negando antecedens, oppositum enim probavi n. 3. Ad 2. dico in aliis Sacramentis sat esse simultatem moralem, & licet in aliis minorem temporis interjectionem patiatur hæc simultas, id evenit, quia non sunt contractus, matrim. vero cum contractus sit, majorem distantiam inter unius, & alterius consensum patitur. Ad 3. dico loqui in stipulatione illum textum, in qua verba cum illa solemnitate sunt de substantia: secus in aliis contractibus. Ad 4. dic satis dici mutuum consensum, cum prior non revocatus maneat in virtute. 5

Quæstio II. An satis sit alterum præstare consensum quocumque temporis spatio intercedente? affirmant aliqui, quia tandiu dicitur prior in consensu persistere, quamdiu non revocat. Sic *Majoris 4. dist. 27. q. 1. Nav. sum. c. 22. n. 80.* 6

Ceterum dicendum est exigi simultatem moralem, ita ut non magnum intervallum inter unius, & alterius consensum distet. Prob. quia in aliis etiam contractibus per longi temporis lapsum hæc voluntas non manet virtute, sed revocatur, *l. 1. §. 1. ff. de verb. oblig.* ibi, *intervallum medii temporis modicum non vitiavit obligationem.* Sic *Sotus 4. 27. q. 1. a. 3. verſ. Sed alia hinc nascitur, Cov. 4. decr. 2. p. c. 4. init. n. 7. Veracruz 1. p. specul. a. 2. §. Sed an sit matrimonium, Enriquez lib. 11. de matr. c. 3. n. 6. Azebedo lib. 5. recop. tit. 16. l. n. 20. ad fin. Bart. a Ledesm. dub. 17. de matr. f. 1273. Lud. Lop. 2. p. instruct. de matr. c. 39. f. 1056. Petr. de Ledes. de matrimon. q. 45. a. dub. 2. Vega l. 3. sum. casu 75.* Exemplificant aliqui ex his DD. quando defectu hujus simultatis non valeat matrimonium, ut *Sotus Lud. Lop.* si septennium intercedat, tunc enim dicunt non esse tutum. *Enriquez* exemplificat, quando biennium intercedit, tunc enim dicit non esse matrimonium: *& in commento, littera, G.* optime dicit priorem sententiam veram esse, dum matrimonium contrahitur per procuratorem: quia in eo, quod procurator non revocatus facit, quantumcumque tempus medium intercedat, manet virtute consensus illius, qui procuratorem constituit. *Barth. a Ledes.* exemplificat non esse matrimonium, quando annus intercedit. Sed melius *Petr. de Ledesma* ait prudentis arbitrio hoc relinqui, attentis particularibus circumstantiis. 7

Quæstio III. Utrum quando consensus alterius fuit minus legitimus, quia fuit fictus, vel metu extortus, satis sit, ut incipiat valere matrimonium, si hic denuo consentiat, vel oporteat utrumque denuo consentire, quando consensus cadit super materiam legitimam, id est, quando fuit inter personas aptas ad contrahendum valide matrimonium? quando enim cadit super materiam illegitimam, dicam disp. 35. Duplex est sententia. I. & satis probabilis, ait requiri, ut uterque denuo consentiat. Probatur 1. quia quando consensus cadit super materiam illegitimam, desideratur novus utriusque consensus (ut dicemus disp. 35. nu. 2.) ergo quando cadit super materiam legitimam, cum utrobique matrimonium sit irritum. Et confirmatur, quia nullum impedimentum est ita dirimens matrim. sicut defectus consensus, ergo si intercedentibus aliis impedimentis dirimentibus, est necessarius novus utriusque conjugis consensus, a fortiori intercedente hoc, valet enim in jure argumentum a fortiori, *c. Cum de cunctis, de electione, auth. Multo magis, C. de sacrosanct. Eccles.* 2. quia cum matrimonium claudicare non possit, deficiente unius consensu, est prorsus irritum, & quasi prorsus contractum minime esset, quo casu manifestum est requiri utriusque consensum. Sic tenet *Felin. referens Antonium, & Ancharanum, c. Ex parte decani. de rescript. n. 11. ampliat. 4. Palac. 4. d. 27. disp. 1. f. 566. col. 2. Barth. a Ledesma de matr. dub. 19. fol. 1297.* 8

9 II. Sent. probabilior, ait satis esse, ut ille, qui minus legitime consensit, denuo consentiat, dum alter consensum non revocarit. Prob. nam cum consensus alterius validus de se fuerit, & sufficiens ad matrimonium, nec revocatus fuerit, jam ex parte hujus consensus nihil desideratur, solus autem deest consensus illius, qui ficte, aut metu consensit, ergo hoc accedente, convalescit matrimonium. Confirm. quia si ficte, vel metu consentiens nullum omnino tunc præstitisset consensum, sed spatio temporis interjecto, manente in virtute priori consensu, valeret matrimonium: ut diximus n. 3. sed qui ficte, aut metu consensit, perinde se habet, ac si non consensisset: cum is consensus omnino nullus fuerit; ergo satis est, ut manente in virtute priori consensu, ipse solus consentiat, Ita tenent tractantes, quando alter metu cadenti in virum constantem, consensit, *D. Th. 4. d. 29. q. unic. a. quæstiunc. c. 2. ad 2. D. Bonav. ibi, q. 2. n. 13. Palud. q. 1. a. 4. nu. 23. Ricard. ibi, a. 2. q. 1. D. Ant. 3. p. t. 1. c. 7. ad medium, Viguer. l. inst. c. 16. §. verſ. Sexto, Enriq. l. 11. de matr. c. 10. n. 5. ad fin. Pala. 4. d. 29. disp. 1. f. 663. ante verſ. Consentiunt in dogmate.* Et ex jurisperitis, *Turrecr. 31. q. 2. in sum. n. 11. Rosel. verb. Impedimentum, imped. 10. nu. 11. Angel. Matrimon. 3. imped. 11. n. 1. Syl. Matrim. 8. q. 11. dist. 4. Tabiena, verb. Impedimentum, imped. 9. ad fin. Armilla verb. Matrimon. n. 41. Navar. sum. c. 12. n. 51. fine, Greg. Lop. l. 15. verb. Le pluguiese fin. t. 2. p. 4.* Et tractantes de ficte consentiente, docent *Ricard. 4. d. 29. a. 1. q. 3. Petr. de Soto lect. 3. matr. paulo post princ. §. Primum igitur, Lud. Lop. 1. p. instruct. c. 85. ad fin. §. penul. Manuel 1. t. sum. 2. edit. c. 208. n. 7.* Et ex jurisperitis, *Host. c. Dilectus, de sponsal. super. verb. Contrario, Joan. And. ibi. n. 7. Anch. n. 3. Alex. de Nevo, n. 18. Sylv. Matr. 8. q. 2. dict. 6. Navar. sum. c. 22. num. 80.*

10 Hinc infertur in hoc casu non oportere aliquid intimari alteri conjugi, nempe matr. non valuisse, quia id necessarium est, ubi novus ipsius consensus exigitur, ne ob errorem careat debita libertate, sed in hoc casu non exigitur novus ipsius consensus, ergo non oportet aliquid ipsi intimare. Sic *Petr. de Soto, & Lud. Lop. nu. præced. allegati*: & a fortiori colligitur ex dicendis nu. sequenti, & in fortioribus terminis, nempe quando etiam prioris consensus fuit de se insufficiens, tenent multi, quos referam disp. 36. num. 2.

11 2. Infertur satis esse in hoc casu, si ille interne in corde suo, post consentiat. Quia externum consensum jam præbuerat, & solus internus desiderabatur, ergo satis est hunc supplere. Et confirm. quia externus exigitur, ut alteri constet de voluntate, in hoc autem eventu constat, propter priorem externum contractum. Ita tenent *Ricar. 4. d. 29. a. 2. q. 1. D. Ant. Ang. Sylv. Petr. de Soto, Turrecr. Lud. Lop.* ubi eos allegavi n. 9. *Veracruz 1. p. spec. a. 29. fin.* quamvis *Enriq. l. 11. de matr. c. 12. nu. 2. in comm. lit. I.* dicat requiri, ut repetatur consensus cum aliquo externo signo. Imo idem dicunt *Ricard. D. Ant. Turr. & Syl. ibi*, quando uterque metu consensit, & ita utriusque conjugis consensus nullus fuit. Sed hoc minime credo, quia cum uterque consensus fuerit omnino nullus, perinde est, ac si matr. penitus non esset contractum, sicut quando consensus cadit super materiam illegitimam, quo casu disp. 35. nu. 3. dicemus utriusque consensum innovandum esse, denuoque matrimonium contrahendum: quando autem denuo contrahitur matrimonium constat externo signo, consensus manifestandos esse: & in hoc casu verum dixit *Enriquez proxime cit.* Idem prorsus, & quod dicemus nu. sequenti in matrimonio, dicendum est de sponsalibus; quando enim duo ad contrahendum habiles sponsalia inierunt, & alter ficte consensit, vel metu, satis est, si postea quocumque temporis intervallo medio interne consentiat: secus quando ex parte utriusque consensus esset irritus, quia eadem prorsus est ratio.

12 3. Infertur satis esse, si ficte, vel metu consentiens, post vere assensum præbeat quocumque temporis spatio interjecto: quia quando unius tantum adfuit consensus, oportet alterum absque longa mora consentire, ut prior consensus virtute maneat, ut diximus n. 7. in hoc autem casu non tantum virtute, sed actu, & formaliter semper manet, cum semper, qui vere consensit, existimet valere matrimonium, & alterum habeat ut conjugem, petens, & reddens debitum. Et ita *Nav. sum. c. 22. n. 80.* dixit sufficere, hunc ficte consentientem, vere consentire, licet plures intercesserint menses.

13 4. Infertur, non esse opus, ut iterum coram parocho, & testibus celebretur hoc matrimonium: quia id est necessarium, quando omnino celebratur matrimonium, hic autem tantum suppletur defectui interni consensus, vel alterius defectus occulti, & jam externo contractui astiterunt parochus, & testes. Sic *Enriq. lib. 11. de matr. c. 12. n. 2. in commen. lit. I. Lud. Lop. & Manuel*, ubi eos num. 9. allegavi, & constabit ex dicendis infra disp. 37. num. 2. & seq. ubi in fortiori casu, nempe quando matrim. fuit omnino nullum ob impedimentum occultum, cum multis idem dicemus.

Ultimo infertur, si quis professionis capax, ficte, aut metu profiteatur, fieri vere professum, si interne professionem ratificet, quia ex parte religionis admissio fuit legitima, unde nihil oportet religioni intimare: constat ex dictis n. 11. & similiter sufficeret quacumque temporis distantia intercedente, ut in simili diximus de matrimonio, n. 12. cum tam matrimonium, quam professio traditionem & acceptationem externam requirant, & ideo eadem est ratio de utrisque. Ita videtur tenere *Manuel 2. to. sum. c. 92. n. 5.* licet non satis explicuerit, tantum enim dicit debere hunc occulte profiteri. Quando autem hic esset incapax professionis, defectu ætatis, vel anni novitiatus, dicam disp. 35. num. 4.

Ad 1. arg. ex propositis num. 8. pro priori sententia, negatur conseq. quia in priori casu, uterque consensus fuit prorsus nullus, & ideo uterque est innovandus: in posteriori vero, alter solum fuit nullus. Ad confirmationem, distinguo antecedens, est enim verum in hoc sensu, ut nihil sit, a quo ita dependeat matrimonium, ac consensus, & nihil sit ita indispensabile: est autem falsum in hoc sensu, ut consensus in uno deficiens, permanente in virtute consensu alterius, ita annullet matrimonium, sicut quando adest impedimentum dirimens, quia in hoc casu, ex parte utriusque consensus, est nullum matrimonium: in illo vero, tantum ex parte alterius. Ad 2. negatur antecedens, matrimonium enim claudicare nequit, ita ut sit legitimum, absque vero utriusque consensu: potest tamen claudicare hoc pacto, ut consensus unius, dum non revocatur, sufficiat ad matrimonium, quando postea alterius consensus accesserit: ut contingit, quando consensus diverso tempore præstantur: juxta dicta nu. 7. 14

Quæstio IV. An per *Trid. sess. 24. c. 1. de matr.* correcta sint dicta in hac disputatione, ita ut necessarium jam sit consensus simul tempore ab utroque præstari? Affirmant *Ant. Cur. l. 5. inst. maj. t. 11. n. 33. Barth. a Ledes. dub. 17. de matr. fol. 1272. §. Sed dubium se offert, Vega lib. 3. sum. casu 75.* Ducuntur, quia aliter parochus, & testes nequeunt de utriusque consensu testificari, si enim post primi recessum, alter consentiat, necesse est, ut sit matrimonium, ut priori constet de consensu alterius, ut diximus hoc 2. lib. disp. 12. n. 3. & ita parochus, & testes non assistent utriusque consensui requisito, nisi antequam contrahentes recedant, simul consentiant. 15

Sed dicendum est non esse correcta, ut constat: quia *Enriquez, Palacios, Nav. in summa Latin. Petr. de Ledesm. Manuel, Azeb. Lud. Lop. Vivald.* quos retuli n. 3. & n. 7. post Trident. scripsere, & sustinent sent. ibi propositam, cum tamen contrariam docturi essent, si Trident. eam correxisset: & statuam duplicem casum, in quo verificari possit non requiri, ut simul conjuges consentiant, & per hoc patebit solutio ad argum. contrarium. I. est, quando alter coram parocho, & testibus consensit, altero nil respondente: & post 15. dies iterum coram eodem parocho, iisdem testibus præsenteque priori contrahente, hic, qui prius tacuerit, consentit: erit enim matrimonium: quia durat in virtute prior consensus verbis explicitus. II. casus esse potest, quando qui in præsentia parochi, & testium consensit, dedit alicui potestatem ad acceptandum suo nomine, & hoc acceptante, coram eodem parocho, & testibus alter postea consentiret. Et potest esse tertius casus, qui propositus est n. 9. quando uterque coram parocho, & testibus consensit, sed alter ficte, convalescit enim illud matrimonium, quacumque temporis distantia intercedente dummodo hic occulte consentiat: ut diximus num. 11. & duplici seq. 16

DISPUTATIO XXXIII.

Utrum ad matrimonium sufficiat consensus, quo uterque conjux consentit, falso existimans subesse impedimentum dirimens, aut priorem alterius conjugem vivere.

SUMMARIUM.

In quo versetur difficultas, & quando hi credunt eo impedimento stante valere matrimonium valet, num. 1 *& quid, quando credunt non valere, refertur opinio affirmans non valere, nu. eod.*
Opinio præfertur veritati, eod. nu. 1.
Verior opinio, valere, n. 2. *& an credendum sit his negantibus consensum.* 3.
Solvuntur arg. & explicatur l. Is qui putat, ff. de acquir. hæred. n. 4.

Difficultas hujus quæst. versatur, quando adest error facti, jurisque scientia, quia conjuges falso credebant esse impedimentum, & existimabant eo stante non posse consistere matrimonium: si enim errarent etiam in jure, fatentur omnes verum esse matrimonium, quia non deficit consensus. Et ratio dubitandi est, quia non apparet, qualiter veram intentionem ineundi matrimonium habeant, qui illud sibi impossibile esse putant. Et ideo duplex est sent. I. & satis probabilis, asserit non esse matr. defectu consensus. Prob. 1. ex *l. Is qui putat, ff. de acquir. hæred.* ubi deciditur, credentem se necessarium hæredem esse, cum vere non sit, repudiare non posse: quia opinio veritati præfertur: ergo similiter credens se ratione impedimenti, quod falso esse credit, non posse valide contrahere, non legitime contrahet. 2. quia hic erratur circa matrimonii substantiam, cum conjuges existiment impossibilem sibi esse corporis traditionem. 1

tionem. 3. quia voluntas non potest ferri in impossibile, ut juris conscius, qui sacerdos non est, nequit intendere consecrare. Sic tenent *Vincentius, c. Cum in Apostolica, de sponsi.* ubi *Joe Andr. n. 9. Anton. n. 9. ante vers. Secundo obstat, Anch. n. 5. Abb. n. 6. Alex. de Nevo, n. 13.* & 14. *Præpos. n. 3. fin.* & videtur tenere *Card. ibi, vers. Quæro quid si ille*, ait enim esse matr. quoad judicium Ecclesiæ, ubi videtur sentire secus esse in foro conscientiæ: eamdem tenent *Silv. Matr. 8. q. 13. dist. 5. Angel. Matr. 3. imped. 13. n. 5. Armil. verb. Matr. n. 44. Navsum. c. 22. n. 56. Ant. Cucus l. 5. instit. maj. t. 12. n. 233.* Et ex Theologis *Sot. 4. d. 37. q. un. a. 5. concl. 3. Ang. floribus 1. p. de matr. q. 11. de impedim. ordinis, a 3. dub. 3. Lud. Lop. 2. p. instr. de matr. c. 47. ubi de imp. conditionis, & c. 55. paulo post princ. Vega lib. 2. sum. casu 282.* & *seq.* & dicit esse probabilem *Pet. de Ledesm. statim allegandus*.

2 II. Sentent. probabilior, affirmat valere matrimonium, si contrahentes intendant, quantum in se ipsis est, consentire: quia hæ personæ sunt revera habiles ad contrahendum, & intendant, quatenus possunt, contrahere: ergo vere contrahunt. 2. quia stante hoc errore est possibilis consensus, ut constat ex *c. de sponsi. in 6. princ.* ubi decidit ex sponsalibus nullis ratione consanguinitatis; vel alterius impedimenti, oriri publicam honestatem, modo adsit consensus, ergo supponit textus possibilem esse consensum, cum impedimento dirimenti: & *Clem. un. de consang.* excommunicantur contrahentes in gradu prohibito: quod non aliter fit, quam supposito posse esse consensum, eo enim deficiente non incurritur illa excommunicatio. Tandem, quia si hæreticus credat, Baptismum esse rem irrisoriam, nilque valere, vere baptizat, si vere intendat facere quod potest, & intendit Ecclesia, ut fatentur omnes, & ita cum errore valoris Baptismi est compossibilis consensus: ergo similiter in nostro casu, quamvis hi errent credentes non valere matrimonium, possunt habere legitimum consensum, eumque habent, si intendant facere, quod possunt, & intendit Ecclesia. Sic tenent *g. 34. q. 1. in sum. verb. Utrumque quæstio fin. & c. Cum in Apostolica, verb. Remanere, de sponsi. directorium*, ut refert, & sequitur *Rosell. verb. Impedimentum. imped. 12. fi. Vervecius, & Supplem.* ut refert *Silv. n. præced. allog. Tab. verb. Impedimentum, imped. 10. fine, Cov. decr. 2. p. c. 3. §. 7. n. 2.* Et ex Theolog. *D. Ant. 3. p. t. 1. c. 9. fin. Barth. a Ledes. de matr. dub. 52. concl. 3. Petr. de Ledesm. de matr. q. 55. a. 9. dub. 2. Enriquez l. 11. de matr. c. 11. n. 5. Manuel 1. to. sum. 2. edit. c. 233. n. 3.* quamvis *Enriquez*, & *Manuel* loquantur, quando dubitant contrahentes de morte prioris viri.

3 Observandum est in foro externo his non adhiberi fidem, si negent se consensisse, secus in foro conscientiæ. Hoc videtur sentire *Card. n. 1. alleg.* dum dixit hoc esse matrimonium quoad forum Ecclesiæ, & tenet *Cov. d. §. 7. nu. 4.*

4 Ad 1. arg. desumptum ex *l. 1. r, qui putat*: dic cum *Cov. d. §. 7. n. 2.* opinionem præferri in eo casu veritati, quia ad eum actum est necessarium agentem scire; ex qua causa, & quo jure eumdem actum agat: ut notat *ibi Jason*. Quod ad matr. non desideratur. Ad 2. negatur errorem circa valorem matrimonii, illud irritare: ut constat in aliis sacramentis. Ad 3. dic non posse voluntatem ferri omnino absolute in impossibile, bene tamen sub conditione, in quantum potest, ut constat in exemplo allato n. 2. de hæretico.

DISPUTATIO XXXIV.

Utrum satis sit ad matrimonium consensus, quo aliqui ex errore putantes aliquod matrimonium per ipsos contractum, esse validum, denuo in illud consentiunt?

SUMMARIUM.

Refertur opinio asserens valere, n. 1. contraria varior, n. 2. Quid si illi contraherent, quamvis conscii essent nullitatis prioris matrimonii, n. 3. & ignorantia concomitans qualiter causa sit involuntarii, ibid.

1 ET videtur novo illo consensu ex errore profecto, convalescere illud matr. ut si quis ficte consensit in matr. & audiens a confessario, vel viris doctis valuisse, idque credens denuo consentiat. Quia hic error nec est personæ, nec conditionis, qui solum matr. annullat, sed est error juris, quo hic putat se ligatum esse cum illa uxore. Et ita tenet *Tab. Matrim. 2. q. 7. nu. 8. ad fin. & Suppl. Cabr. 4. d. 29. q. 1. a. 3. dub. 3. ad fin.* quamvis dubitet, videtur tamen affirmare, esse matrimonium, & *Victoria Ledesmaque statim allegandi* dicunt posse probabiliter disputari.

2 Sed dicendum est, non esse matrimonium. Quia nil tam contrarium consensui, quam error, *l. Si per errorem, ff. de jurisdict. omn. judic.* errorque hic ad personæ errorem reducitur; ut latius dicam disp. 36. n. 3. ubi aliis rationibus hæc sent. confirmabitur, & hanc tenent *Ant. in quodam consilio, quod est inter Ancharani consilia, cons. 229.* & *Anch. ibi, cons. 230. Rosell. Matr. 4. n. 4.* & *5. Ang. Matrim. 2. n. 17 Silv. Matr. 5. q. 10. Victoria relect. de matr. p. 1. n. 10. Nav. sum. Lat.* & *Hisp. c. 22. n. 76.* & *l. 1. cons. 1. De his, quæ vi in 1. edit. cons. 2. n. 8. in 2. in cons. 4. n. 8. Ledes. 2. p. 4. 45. a. 1. ad fin. Verac. 1. p. spec. art. 23. ad fin. Palac. 4. d. 28. disp. 1. fol. 628. col. 1. Enriq. l. 11. de matr. cap. 9. n. 7.* & *in fine*.

3 Aliqui ex his DD. temperant hanc sententiam, ut non sit matrimonium, quando si denuo consentiens sciret se liberum esse, minime consentiret; unde a contrario sensu videntur oppositum sentire, quando si libertate cognita adhuc assensum præberet. Sic *Rosella n. 5. Silvest. Victoria, Nav. sum. Hisp. Ledesma, Palacios, relati nu. præced.* Et potest esse fundamentum, quia talis error tunc non est antecedens actum, illusque causa, sed est concomitans, id est, qui simul est cum actu, & esto non esset, adhuc actus fieret: qui error non est causa involuntarii: qua ratione multi DD. affirmant contrahentem cum serva credita libera, valide contrahere, si conscius serviturii, adhuc illam duceret. Sed verius est etiam in hoc casu non esse matrimonium: quia ea tantum est voluntas habitualis, & quamvis error concomitans non sit causa involuntarii contrarie, est tamen causa involuntarii negative, id est, est causa, ut ibi non sit actus, & consensus voluntarius positive, sed tantum est in habitu, & animi præparatione, quia si sciret, haberet actum voluntatis: matr. autem requirit actum voluntarium de præsenti: quare ut esset matrimonium, oporteret, ut cum denuo confirmat, hunc actum voluntatis eliceret, quamvis primum matrimon. sit nullum. Volo ex nunc eo ligari. Et confirm. quia dum denuo consentit, manifestum est, eum non intendere novum matrimonium celebrare, cum existimet prius esse validum, sed tantum intendit præteritum ratificare, quod cum nullum fuerit, ratificari non potest: ut late probabo disp. 36. n. 3. Quibus rationibus ducta communis sent. asserit non esse matr. dum aliquis servitutis ignarus contrahit, quamvis si illius conscius esset, non desisteret a contrahendo.

DISPUTATIO XXXV.

Utrum ad ratificandum matrimonium invalidum ob impedimentum dirimens, impetrata impedimenti dispensatione, vel eo cessante, ut quia prior conjux vivebat, & jam obiit, exigatur utriusque conjugis consensum renovari, vel satis sit ejus, qui impedimentum novit?

SUMMARIUM.

Refertur opinio affirmans satis esse renovari consensum scientis impedimentum, num. 1.
Contraria opinio verior, nu. 2. & an sufficiat, consensus illos internos esse, 3.
Si incapax professionis profiteatur, an cessante impedimento satis sit interne profiteri, nu. 4. & ibi, an oporteat monasterium consolum esse nullitatis professionis.
Solvuntur argumenta, & explicantur. l. Si quis in senatorio, & l. Eos, ff. de ritu nuptiarum, nu. 5.

1 QUidam ajunt satis esse consensum scientes impedimentum renovare. Prob. ex *l. Si quis in senatorio, & l. Eos, ff. de ritu nupt.* ubi habetur matr. irritum convalescere, si cessante impedimento alter conjux in pristino consensu persistat. Et confir. quia antiquus consensus censetur durare, dum revocatus non est; qua ratione hoc 2. l. disp. 32. n. 9. diximus ficte consentientem posse suo solo consensu matrimonium ratificare. Sic tenet *Ligando* (ut refert *Præp. c. Cum in Apostolica, fi. de sponsi.*) idem censent aliqui DD. quos dis. seq. n. 2. referam, dicentes contrahentem ignoranter cum serva, si post manumissionem illius inscius eam cognoscat affectu uxorio, perficere prius matrimonium: eo quod prior consensus duret in illa serva: & ita censent sublato impedimento non oportere utriusque consensum renovari.

2 Ceterum omnino tenendum est id matrimon. iniume convalescere, nisi novus utriusque consensus accedat. Quia cum prior consensus fuerit omnino ex parte utriusque invalidus, eo quod super illegitimam, & inhabilem materiam ceciderit, denuo uterque renovandus est, nec durare potest consensus, qui nullus omnino fuit, cum enim permanentia existentiam supponat, consensus, qui nunquam extitit, permanere nequit. Sic docent ex Theologis, *D. To. 4. d. 40. qu. un. a. 4. ad 6. Scot. 4. d. 35. q. un. §. Respondeo, primus consensus, Ricar. 4. d. 40. a. 1. a. 6. Suppl. Gabr. 4. d. 38. q. 1. n. 2. concl. 12. Cajet. opusc. to. 1. tr. 12. de matr. q. 2.* & *sum. verb. Matrimonium, tit. Contractus matrim. potest reddi vitiosus, verb. Tertium caput, Abulen. 1. Reg. c. 8. q. 38. Soto 4. d. 27. q. 1. art. 3. vers. Sed alia hinc nascitur. Veracruz append. ad spec. dub. 10. concl. 4. Palac. 4. d. 30. q. 1. f. 670. fi.* & *seq. Cordubа l. 1. quæstionarii, q. 11. a. 2. dict. 1.* & *sum. q. 189. pun. 1. Enriquez l. 12. de matr. c. 1. nu. 7. Aragon. 2. 2. q. 33. a. 6. concl. 3. Philiarch. de offic. sacerd. t. 1. p. 2. l. 2. c. 13. Petr. de Ledesd. de matr. q. 45. a. 3. dub. ult. Manuel 1. t. sum. 2. edit. c. 220. n. 2.* Et ex Jurisperitis, *gl. c. Non debet de consang. verb. de cetero*, & colligitur ex eo textu, ibi, *de cetero licere copulantur, Hosti. c. 1. De eo, qui duxit in matr. initio*, & *ibi Innoc. n. un. Ant. n. 8. Anchar. n. 4. Henric. n. 5. Alex. de Nevo, nu. 15. Calderin.* & *Præpos. c. Cum in Apostolica, de sponsi. fin. idem Præpos. d. c. Non debet. nu. 20. fin. Franc. Arct. l. Apud Julian. ff. de leg. 1. Bald. Novel. tr. de dote p. 11. §. Hactenus, n. 18. Paris. cons. 52. vol. 4. Silv. Matr. 6. qu. 5. diff. 2.* & *Matr. 8. qu. 2. dict. 6. Villalobos in comm. lit. M. n. 67. Nav. sum. c. 22. n. 47.* & *80.* & *c. Si qui, autem de pœn. dist. 7. n. 70.* & *l. 4. cons. t. 1. de sponsi. in utraque edit. cons. 12. Cov. 4. decr. 2. p. c. 4. init. n. 5. Greg. Lop. l. 15. verb. Le pluguiese, fin. tit. 2. p. 5. Perez l. 5. ordin. t. 1. l. 1. fi. 18. a. Ex quibus respondendum erit, Sarmien. l. 6. selectar. c. 17. fin. Matienzo l. 5. recop. t. 1. rubr. gl. n. 66. Segura direct. judiciorum, 2. p. c. 15. n. 39.* & *seq.*

Nec satis erit inter hos conjuges interne consensum renovari: cujus

cujus contrarium minus bene dixit *Veracr. 1. p. spec. a. 44. concl. 3.* faventque illi DD. quos dis. 32. n. 11. hoc 2. l. retuli, dicentes quando uterque conjux ob metum invalide contraxit, posse solo in consensu interno utriusque renovari illud matr. Sed contrarium dicendum est, ut similiter tenuimus eod. nu. 11. nam cum utriusque consensus prorsus invalidus fuerit, perinde omnino est, ac si non fuisset: quare sicut a principio erat necessarius consensus externo signo, aut verbis manifestatus, ita & nunc. Et sic *idem Veracruz* tenet *append. ad spec. dub. 10. concl. 4.* & quamvis ibi dicat post Trid. non sufficere jam internum consensum, quasi secus esset de jure antiquo: at idem dicendum est attento quocumque jure, ut probat ratio adducta. Et ita videtur supponere *Cov. 4. decr. 2. p. c. 4. init. n. 5.* passim enim repetit illud matr. denuo contrahendum esse verbis, vel aliquo signo externo: & tenet *Enriquez l. 11. de matr. c. 12. nu. 2. commento, lit. I.*

4 Ex his infertur, dum professio omnino invalida fuit, quia profitens incapax erat, ob ætatis defectum, vel anni novitiatus, vel aliam causam, non satis esse solo interno actu professionem renovari, sed oportere iterum professionem recipi actu externo, sicut dicimus de matr. ipso iterum profitente, & monasterii superiore denuo admittente: cum utriusque actus nullus fuerit (Quando autem profitens vere capax erat, & ex sola parte ipsius fuit professio nulla, dixi hoc 2. l. disp. 32. n. 14.) Satis autem esset si ipse sciens nullitatem prioris professionis, & superiore similiter conscio, admitteretur ad actus professorum, postquam impedimentum cessavit, quia tunc est professio tacita, juxta *c. Vidua, de reg.* sicut disp. seq. n. 9. dicemus idem in matrimonio prorsus nullo, ratificando. Utrum autem necessarium sit superiorem conscium esse nullitatis prioris professionis, idem prorsus dicendum est, quod tota disp. seq. dicemus de matrimonio omnino invalido. Exigi autem, ut ipse profitens norit priorem professionem invalidam fuisse, dixi l. 1. disp. 16. n. 7.

5 Ad 1. arg. desumptum ex *l. Si quis in senatorio, & l. Eos*, dic cum *Covar. decret. 2. p. cap. 4. init. n. 5.* intelligi eas leges, quando conjuges copula maritali, vel alio signo externo denuo consensum exprimunt. Ad confirm. dic esse disparem rationem, quia in illo casu alter consensus fuit validus, in nostro autem uterque invalidus est.

DISPUTATIO XXXVI.

Utrum ad matrimonium invalidam ob impedimentum occultum, ratificandum cessante impedimento, oporteat alterum conjugem certiorem facere de nullitate prioris matrimonii, vel hac nullitate tacita, satis sit renovare consensus?

SUMMARIUM.

Quando matrimonium est nullum ex errore personæ, aut conditionis, durante eodem errore nunquam censetur ratificari, nec satis est impedimentum audivisse, & titubans pro ignorante habetur, num. 1.
Et quid quando non est impedimentum erroris, vel cessavit servitus, refertur opinio quædam, n. 2. & *quid, si ingenuus contrahat cum serva ignoranter, & post manumissionem a se ignoratam, consentiat verbo, vel facto, an perficiatur matrimonium, n. 2. juncti. n. 3. ubi etiam an oporteat, ut matrimonium ratificetur per copulam, adesse scientiam nullitatis prioris matrimonii.*
Secunda opinio asserens opus esse, ut alter conjux certior fiat de nullitate prioris matrimonii refertur, n. 3. & *ibi, quando judex errat in fundamento jurisdictionis, quia jurisdictionem ignorat, non valet, quod agit. Et actus non operantur ultra intentionem agentium:* & *quod nullum est, ratificari non potest.*
Exigitur scientia nullitatis prioris matrimonii, & an sufficiat confuse dicere, Suspicor nos non esse conjuges, & expediat id dicere, 4.
Quid, si conjux ignorans, sic dicat, Volo ex nunc ita tecum contrahere, ac si nunquam contraxissem, & expediat id fieri, 5.
An satis sit copula affectu maritali, sciente utroque conjuge prius matrimonium fuisse nullum, & cessasse impedimentum, nu. 6. ibi, an hoc habeat locum post Tridentinum.
Quando non timetur scandali periculum, est omnino detegenda alteri conjugi matrimonii nullitas, & an possit hoc modo detegi, si alter dicat se non vere, sed ficte consensisse, 7.
Quando est magnum scandali periculum, potest tacita nullitate prioris matrimonii, illud renovari, n. 8. & *ibi, opinio parum probabilis potest ratione magni periculi amplecti.*
Utrum satis sit cum ignorantia illa nullitatis prioris matrimonii copula affectu maritali, 9.
Solvuntur arg. prioris sent. nu. 10. & *posterioris, nu. 11.*

1 CONstat apud omnes, quando matr. nullum fuit ob personæ, vel conditionis errorem, non censeri ratificatum quocumque actu, dum durat idem error: quia eo durante manet idem impedimentum dirimens. Præterea quia consensus hic non est efficacior, quam prius habitus, cum semper eadem nullitatis causa perseveret. Tandem probatur ex *c. 2.* & *c. fin. de conj. servorum*, ubi habetur convalidari hoc matr. si audita servitute, ingenuus verbo, vel facto consensit. Nec satis esset quæcumque servitutis auditio, sed oportet, ut ingenuus eam crediderit: titubans enim pro ignorante habetur, *l. ult. C de concubind.* & docet optime *Gi. eo c. 2. verb. Audivit*, & *ibi Hostiens.* & *Inn. super eodem vers. Ant. ibi. n. 5. Henric. n. 10.* Nec satis esset levis suspicio, ut docet *Doctor Theologus 4. dist. 36. in fin. in expost. lit. Ricard. eadem dist. a. 2. q. 1. Palud. ibi, q. 1. a. 1. concl. 3. n. 9. Rosella verb. Impedimentum, imped. 3. n. 6.* & *7. Ang. Matr. 3. imped. 4. n. 8. Silv. Matr. 8. q. 3. dist. 2. Tabiena verb. Impedimentum, imped 1. q. 11. n. 12. Sot. 4. d. 35. q. un. a. 2. vers. Sed est præterea*, ubi addit requiri, ut ingenuus credat, vel probabiliter opinetur. Nec etiam ratificatur in foro conscientiæ, licet verisimiliter credere debuerit, si non credidit: actus enim factus, ex quo inducitur tacitus, vel expressus consensus, videtur ex priori consensu nullo gestus: ut bene *Calderin. c. 2. de conjug. servor.* & *ibi Alex. de Nevo, n. 9.* docent.

Tota ergo difficultas est, quando impedimentum non est error conditionis, vel personæ; aut si fuit conditionis, cessavit jam servitus. Duplex est sent. 1. ait conjugem impedimenti conscium obtenta dispensatione, vel impedimento cessante non oportere alteri aperire, prius matrimonium fuisse irritum, sed satis esse, si caute curet utriusque consensum renovari, ut dissimulanter petendo ab altero, ut pro sua consolatione ipsum habeat in conjugem, & ipso similiter dicente, Ego quoque volo te in conjugem. Prob. 1. quia prius matrimonium licet invalidum, habet tamen quamdam matrimonii effigiem, & ita facilius convalescit. 2. quia ablato impedimento sunt hi habiles ad contrahendum; ergo cum consentiat in matrimonium, illud erit legitimum. 3. quia hic error, non est error personæ, nec conditionis, ut supponimus; sed error juris, quo conjuges putant matrimonio junctos esse, cum non sint, soli autem duo priores errores matr. vitiant. 4. quia ratificans prius matr. ex errore, quo illud validum esse putabat, valide tunc contrahit, juxta aliquos, quos retuli hoc 2. l. disp. 34. n. 1. cum tamen hic consensus procedat ex simili errore. 5. quia si quis contraxit cum serva, putans esse ingenuam, licet matr. non valuerit, si tamen post manumissionem a se ignoratam, verbo, vel facto, idem est, copula affectu conjugali, denuo consentiat, perficitur matr. quamvis hic consensus procedat ex errore, quo putabat esse suam: ut tenent aliqui antiquiores, teste *Inn. c. 1. de eo, qui duxit in matr. un. vers. Vel dic*, & *in fin. illius*, & *vel. Et idem credam*: idem tenent alii, quos refert, & videtur sequi *Palud. 4. d. 36. q. 1 a. 2. concl. 2. n. 14.* Ponit enim hanc sent. in ultimo loco, & tenet *Ang. Matr. 3. imped. 5. n. 10.* & sentiunt esse probabile *Sot. 4. d. 35. q. un. a. 2. vers. Sed percontaris, Lud. Lop. 2. p. instruct. de matr. c. 47. f. 1118. col. 2. vers. Præterea. Petr. de Ledesm. de matr. q. 52. a. 1. dub. 2.* dicens aliquos ex discipulis D. Th. id tenere: imo *Sotus*, & *Lud. Lop.* censent fere æque probabile esse hoc, ac oppositum: *Sotus* enim dicit nescire se an contrarium probabilius sit: & *Lud. Lop.* tantum dicit forsan oppositum esse probabilius: ergo similiter in nostro casu perficietur matr. non obstante errore valoris prioris matr. Pro hac sent. sunt omnes DD. allegati hic 4. & 5. argumentis, & in propriis terminis eam tenent *Caj. opusc. tom. 1. tr. 12. de matr. q. 2.* & *in summa, verb. Matr. tit. Contractus matrimonii potest reddi ex 7. capitibus vitiosus, Sotus 4. d. 28. q. 1. a. 2. concl. 3. casu 1. Veracr. 1. p. spec. a. 44. concl. 3. Capua l. 2. decis. c. 80. n. 15. Barth. a Ledes. dub. 17. de matr. f. 1274. o. Sed animadvertendum*, & *dub. 21. concl. 5. Matienzo l. 5. recop. t. 1. l. 1. gl. 1. n. 3. Pedraza summa præcep. 3. §. 12. Lud. Lop. 2. p. instruct. de matr. c. 39. f. 1059. Cordubа l. 1. quæstionarii q. 11. a. 2. dict. 1.* & *sum. q. 51. opin. 1.* dicit esse multorum sent. & §. *Resolutoriamente digo*, dicit sic debere fieri quando timetur scandalum. *Petr. de Ledes. de matr. q. 45. art. 3. dub. ult. §. Sed dubium est quodnam remedium*: & addit hoc sufficere, licet timeatur de voluntate alterius, quod si sciret impedimentum, nollet contrahere: *Enriquez l. 11. de matr. c. 3. n. 6.* & *Manuel 1. t. sum. 2. edit. c. 220. n. 2.* addunt tamen hi duo ita servandum esse, quando timetur aliquod periculum: imo dicit *Manuel* sufficere aliquod signum consensus alterius ignorantis impedimentum, ut copulam affectu maritali: si autem nullum sit periculum, dicunt *Enriq.* & *Manuel*, curandum esse, ut alter conjux sciat primum matr. non valuisse tacita nullitatis causa: & quamvis videatur postea *Enriq.* petere, ut alter in genere noscit adesse impedimentum, vel dubitet, at in *comm. lit. V.* refert pro se *Cajetanum locis hic allegatis*, & ita videtur idem sentire, & ait multos Salmanticæ, & Compluti consultos idem tenuisse: & 2. *in comm. lit. T* est aperte hujus sent. hæc enim dicit, cum hi allata dispensatione sint habiles, satis est sine impedimenti directione renovare consensus. Imo *Marc. Matr. 3. imped. 13. n. 5.* & *Sotus 4. d. 29. q. 2. a. 1. dub. ult.* censent sola copula affectu maritali convalescere id matr. altero conjuge nullitatem ignorante: *Sotus* addit, quamvis conjuges ignorent dispensationem impedimenti obtentam esse.

II. Sent. docet necessarium esse, ut id matr. convalescat, conjugem impedimenti ignaram certiorem fieri de priori matr. nullitate, licet causa ei negatur. Prob. 1. quia nihil magis contrarium consensui, quam error, *l. Si per errorem, ff. de jurisdict. omn. jud.* & *l. Nihil consensui, ff. de reg. jur.* sed ex errore, quo putat hanc esse suam, in illam consentit, ergo vere non consentit. Et confi. quia hic error reducitur ad personæ errorem; putat enim conjux consentire in suam, cum revera non sit sua. Imo est major error, quam personæ, cum integram contractus substantiam ignoret, & prorsus quid agat, nesciat. 2. Probatur